This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.


+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

A 468354 DUPL



878
P25
R6
171



Pervigilium Veneris

# PERVIGILIUM VENERIS,

*EX EDITIONE*

PETRI PITHOEI,

Cum ejus & JUSTI LIPSII Notis;

*Itémque ex alio Codice Antiquo;*

Cum NOTIS

CL. SALMASII ET PET. SCRIVERII.

Acceſſit ad hæc

ANDR. RIVINI COMMENTARIUS.

## AUSONII

CUPIDO CRUCI ADFIXUS,

*Cum* NOTIS

MARIANG. ACCURSII, EL. VINETI,

PET. SCRIVERII ET ANONYMI.

Acceſſere ad Calcem

JOS. SCALIGERI ET CASP. BARTHII

ANIMADVERSIONES.

*HAGÆ COMITUM,*

Apud HENRICUM SCHEURLEER.

MDCCXII.

John S. Lawrence Estate
gt
4-8-1925

# LECTORI.

EDIDERAT Vir Doctiſſimus *Petrus Scriverius*, Hagæ Comitis, anno MDCXXXVII, farraginem Opuſculorum, cui inſcriptionem hanc fecerat: *Dominici Baudii Amores, edente Petro Scriverio, inſcripti Th. Graſwinckelio Equiti.* In ea farragine, quæ rarior facta in paucorum manibus verſabatur, præter *Baudii*

nonnulla carmina, aliorúmque Recentiorum libellos, quædam antiqua erant; quorum præcipua ſunt *Pervigilium Veneris*, vetuſtum & elegans carmen, ignoti licèt Auctoris & *Auſonii Cupido Cruci adfixus*; cum ipſius *Scriverii* aliorúmque doctiſſimorum virorum animadverſionibus. Hæc, quum quæreret Bibliopola libellum, quem ederet, ei ſunt indicata & è ceteris decerpta; ut iterum in lucem prodirent, & harum elegantiarum ſtudioſis terenda denuo traderentur.

Quamvis ſatis conſtet *Pervi-*

*gilium Veneris* non eſſe *Catulli*, attamen non infimi ævi, neque proletarii Poëtæ eſſe ſatis oſtendunt ingenium & ſtylus hominis; qui non procul abit ab illa elegantiſſima ævi Auguſti ſimplicitate, ab omnibus longè accerſitis ornamentis aliena, & nativâ pulcritudine placente. Fuerat hoc Opuſculum primùm è veteribus membranis à *Petro Pithœo* Lutetiæ, anno MDLXXVII. apud *Mamertum Patiſſonium* editum; ſed quum vitioſiſſimum eſſet ejus exemplar, manu medica ſummopere indigebat, quam ei haud mul-

tò pòſt admovit *Juſtus Lipſius* Electorum Lib. I. cap. 5. qui loca ejus nonnulla, quâ erat ſagacitate, feliciſſimè emendavit. Alii etiam, ut *Jan. Douza filius*, & *Joan. Weitzius* ſimilia tentarunt, ſed vix quiſquam operæ pretium præſtare potuit, ſine meliore Codice; quem poſtea nactus *Claud. Salmaſius*, & ab eo *Pet. Scriverius*, Poëmatium hoc non prorſus quidem emacularunt, ſed multò tamen emendatius in lucem emittere potuerunt. Rem in ſe ſuſcepit *Scriverius*, præſtititque in eo libello, quem dixi; nec

nec ſuas tantùm *Salmaſii*que animadverſiones edidit, ſed etiam alienas, quas hîc vides, collegit. Quum autem omnes *Pervigilio*, quale à *Pithœo* editum fuerat, ſubjici in inferiore pagina non poſſent; primùm editum eſt cum *Pithœi* & *Lipſii* notis, deinde è recenſione Scriveriana repetitum, cum ipſius *Scriverii*, *Weitzii* ſelectis & *Salmaſii* omnibus animadverſionibus. Satis illuſtratum videri poterat Opuſculum, imò verò interpretationum mole laborare; ſed quum exigua eſſet voluminis hujus moles, exſtarét-

A 468354 DUPL



878
P25
R62
171

878
P25
R62
1712

Fruantur hiſce Lectores, & ſi quid hinc diſcant, Bibliopolæ conſilium probent, aliiſque ſimilibus, quæ poſthac emittere poterit, benignè faveant.

*Calendis Martiis anni* MDCCXII.

AND.

# AND. RIVINI
# DEDICATIO.

*EXCELLENTISSIMO & de re literariâ deque omni Humanitate præclarè in geminâ Sereniſſ. Saxoniæ Electoris Academiâ merito PROFESSORUM PARI:*

L. PHILIPPO MÜLLERO, Iatro-Mathematico &c.

AUGUSTO BUCHNERO, Poët. atque Hiſtorico &c.

Utrique in Concilio Communitatis Artium SENIORI VENERABILI, illi quidem *Lipſiæ*, huic autem *Witebergæ*, D. D. C. Q.

QUum PERSIUS, *gravis ille morum Cenſor & Virtutis Præceptor fidiſſimus, hominem vindictâ prætoris jure quidem libertatis gaudentem, animo tamen necdum liberum, ſed vitiis blandientibus ſervientem, atque honoribus ineſcandis deditum redarguere-*

*re vellet, ab eodem, palpo illum hiantem poſt ſe trahens, atque ſic adloquens introducitur*

Cretata ambitio: VIGILA! CICER INGERE LARGE. &c.

*Quod vetus Scholiaſtes* Pſeudocornutus, *ſeu* Probus *ille* Berytius (*ut aliis, aliiſque nominatur, & à nobis, guſtum hîc dantibus, aliquando bono cum Deo duplò auctior, quàm à* Pithœo *factum, edetur*) *ita interpretatus eſt*: Ambitio ait: Largiendo honores à populo mercator, cui innoteſcas vigiliâ. Et ſparge, inquit, populo cicer: hoc enim ludis floralibus inter cætera munera jactabatur, quando terræ ludos colebant, & omnia ſemina in populum ſpargebant, ut Tellus veluti ſuis muneribus placaretur. *Idem fortaſſè & mihi ab æmulorum aliquo objici ambituíque adſcribi poſſet, quod non modò pervigilium* ÆSCULAPIO *nuper, refloreſcente Vere, concelebraverim, atque chirothecas ciceris loco in vulgus ſparſerim; ſed & nunc, eodem adhuc menſe vigente, alteras quoque* VENERIS *in ſcenam reproducam excubias, cúmque ea ipſa, quarumvis rerum credita procreatrice, genitalia ſimul ſemina omnigena publicè mittere, atque Vobis præcipuè,* FAUTORES COLENDI, *largè ingerere ſtudeam. Nec dubitabunt iſti (ut ſæpè ſuam allegant inſcitiæ turpitudinem) nuda hîc Floralia aut Priapeia inquirere.*

*Egre-*

*Egregii profectò ſanctique Catones*, *quos* (ut apud Val. Max. lib. 2. cap. 10.) *aliquis moneat Favonius*, *ut è theatro hoc protinùs cum plauſu abſcedant omnium*, *nec tam gravi præſentiâ ſuâ &*, *quam ſibi tribuunt*, *majeſtate*, *poëtici ſpectaculi*, *non quidem triſtis*, *nec inhoneſti tamen impediant conſuetudinem*; *ſed horas has vernas*, *ſuas quoque habere Veneres & Gratias*, *inſubidi ipſi patiantur*, *ut tantiſper Tempus ſuis quaſi muneribus propitietur. Verùm mittamus iſtos Nemeſi & quantum velint*, *latrare*, *livere*, *maleferiari*, *tumultuari*, *atque adeò inſanire permittamus*, *dum ſciant*, *ſe nondum quicquam rei bonæ ſuâ* Marte *in publicum*, *niſi convicia*, *mendacéſque calumnias in ſe longè meliores*, *ſpargere potuiſſe. Intereà aliis otioſè in utramvis aurem Vacunæ ſuæ indormientibus*, *laudabilis & cretâ notanda aures haſce vellat ambitio: Tu publico bono literiſque vigila*, *& ſi nihil aliud adeſt*, *quod poſſis diribere*:

—— —— Cicer ingere largè
Rixanti populo, noſtra ut floralia poſſint
Aprici meminiſſe ſenes. Quid pulchrius?

*Erit quippe*, *cùm*, *vel crepante invidiâ*, *non malè auditura ſit induſtria & de ſtudiis benè merendi voluntas.*

*Vobis autem*, Viri Ampliſſimi, *quicquid id eſt*, *inſcribere viſum eſt*, *cùm ut cæleſtis Vene-*

*ne-*

*neris, atque adeò veri honeſtique Amoris & cultûs erga Vos mei pervigilis quoddam publicè exſtaret monumentum: tùm verò, ut ſi Veſtris Dignitatibus, harum rerum adprimè intelligentibus, illud adprobavero; cuivis ſtatim adpareat; non inelegans; nec adeò laſcivum aut ciceris ſaltem cucullam eſſe poſſe ſcriptum hoc, cujus patrocinium tanti tamque graves Viri ſubire poſtulentur. Quo ipſo Veſtro favore ſi communitum fuerit, jam non* pervigilium *ampliùs, ſed tranſpoſitis leviter literis* privilegium Veneris *ſano ſenſu veniet nuncupandum. Accipite ergò fronte veſpertinâ, quâ invigilari jucundis rebus ſolet, hoc eſt ſerenâ; & ſi mereri viſus eſt, contra Theoninos dentes non Trochaicum modò illum, ſed & ejus emendatorem atque commentatorem defendite: atque ita ſingulari quopiam complecti dignemini Anterote*

Qui dab. Lipſiæ ipſis Floralibus Menſis Aprilis, Veneri antiquitùs conſecrati, Ærâ MDCXLIV.

*Veſtri amantiſſimum*

AND. RIVINUM.

PER-

# PERVIGILIUM VENERIS.

CRAS AMET, QUI NUMQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
Ver novum, ver jam canorum: ver natus orbis eſt,
Vere

PERVIGILIUM.] Vetus Gloſſarium: *Pervigilium*, Παννυχισμὸς, καὶ ἡ διὰ νυκτὸς ἀγρυπνία. *Pervigilatio*, Παννυχὶς. *Pervigilat*, Παννυχίζει. Et alterum: Παννυχὶς, *hoc excubium*, *pervigilium*. Debebatur Veneri, quam Plautus facetè *Noctuvigilam* adpellavit, triduanum; ut eſt infra, verſ. 41. Vide Janum Guilielmium in Curculionem Plauti, cap. III. WEITZIUS.

2\. *Ver canorum*] Propter aviculas, *quæ prolectante verno tempore concentus ſuaves adſonant*, ut ait Apuleius lib. XI. IDEM.

Ibid. *Ver natus orbis eſt.*] Fortaſſis melius, *Vere natus orbis eſt*: Nam hæc fuit non Judæorum modò, ſed ceterarum ferè gentium, quæ quidem mundo natalem tribuerunt, ſententia: niſi quis mage figuratè ſcriptum malit, *Ver juventus orbis eſt.* Aut, *Ver renatus orbis eſt*. PITHOEUS.

*Ibid.*] Eleganter Pithœus, *vere natus orbis eſt.* Nec malè ego, *ver renatus orbis eſt*. Sententia gemina huic Pliniana: *Arborum flos eſt pleni veris indicium, & anni renaſcentis*. LIPSIUS.

Ibid. *Ver renatus orbis eſt.*] Baſilius Magnus Homil. VI. Hexaëm. ἐπανάγει τὴν εὐκρασίαν, καὶ γίνεται ἔαρ, πᾶσι μὲν φυτοῖς τῆς βλαστήσεως ἀρχηγὸν, δένδρων δὲ τοῖς πλείστοις παρέχον τὴν ἀναβίωσιν, ζώοις τοῖς δὲ χερσαίοις καὶ ἐνύδροις ἅπασι τὸ γένος φυλάσσον ἐκ τῆς τῶν ἐπιγινομένων διαδοχῆς. Et quod *Ver* gratiſſimum ſit ex quatuor annorum partibus, teſtis eſt parœmia, qua utimur, cùm è re, ſeu negotio quippiam eximium præcipuumque auferri indicamus: *Ver ex anno tollere*. Vide Virgilium II Georg. v. 336. & ibi Interpretes. Calpurnius Eclog. v. v. 21.

*Tunc florent ſilvæ, viridiſque renaſcitur annus.*

Lipſius Phyſiolog. Stoicor. lib. II, cap. IX. legit, *Vere natus orbis eſt*. Vere videlicet natum eſſe Mundum volunt, Sole in Ariete

Vere concordant amores, vere nubent alites,
Et nemus comam reſolvit de maritis imbribus:
Cras amorem copulatrix inter umbras arborum

Im-

exiſtente. Panegyriſtes ad Maximinianum: *Divinus ille veſtræ Majeſtatis ortus ipſo, quo illuxit, auſpicio Veris illuſtrior, auguſtiore fulgens luminis claritate, quam cum* ORIGINE MUNDI NASCENTIS *animavit.* Et ſtatim: *O felix beatumque Ver novo partu! ô tempus, quo meritò* OMNIA NATA *eſſe credantur!* Vide inibi alia quoque: & plura de controverſia, *Num in Vere Mundus creatus*, apud Rodolphum Hoſpinianum de Origine Feſtorum Judæorum & Ethnicorum, pag. 5. Eliam Cüchlerum in Problemate, *Verene an Autumno Mundus ſit conditus*; Scaligerum De emendatione temporum; Bernardum Calellium De mundi creatione, & alios. WEITZIUS.

3. *Vere concordant amores.*] Oppianus dilucidè hoc exponit Cyneget. I. v. 377. Quem locum non parum declarari ait Philologus ille eximius Conradus Rittershuſius, collatione ejus facta cum Pervigilio hoc Veneris. Vide eundem Oppianum Halieut. I. v. 473. IDEM.

Ibid. *Vere nubent alites.*] Scribo, *nubunt*. LIPSIUS.

ibid. *Nubunt alites*] Συνυσιάζυσιν, ἢ ἀφροδισιάζυσι. Joh. Iſaacus Pontanus in Macrob. lib. VII, cap. XVI. legit, *pubent*, h. e. vernant. Porro de Vere elegantiſſimam habes deſcriptionem Anthologiæ lib. I. quam inde pete, & confer ejus Latinam metaphraſin C. Rittershuſii ex Commentario ad lib. I. Halieut. Oppiani. WEITZIUS.

4. *Et nemus comam reſolvit.*] Ανοίγει τὰ φύλλα τὰ χείλη, ut loquitur Achilles Tatius lib. II. de Roſa. *Comam.* φύλλα, ſeu frondes, arborum comæ ſunt, ſive crines. Vide Indicem Dracontii mei in *Comæ*, & Hadrianum Junium in Commentario de Coma, cap. IV. IDEM.

Ibid. *De maritis imbribus*] Venuſta tranſlatio ab hominum conjugatione ad res alias. Virgil II. Georg. v. 325.

*Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther*
*Conjugis in gremium lætæ deſcendit.*

Lucret. I. v. 246. Claudian. II. de Raptu, v. 89. de Zephyro:

*—— Et glebas fecundo rore maritat.*

De Nilo Alcimus lib. I.

*At poſtquàm largo fecundans germina potu*
*Lympha maritavit ſitientis viſcera terræ.*

Vide

Implicat gazas virentes de flagello myrteo.
Cras Dione jura dicit, fulta ſublimi throno.



Vide quæ ad Horatium noto, Epod. II. v. 10. IDEM.

5. *Cras amorem copulatrix.*] Perſpicuè legendum, *amorum*. PITHOEUS.

Ibid. *Inter umbras arborum*] Mater enim amorum circumfuſa umbræ nebula oberrare ſolet. Favet enim furtis Veneris umbra: pavidos alioqui amatores confirmat, & velo ſuo involvit. Joh. Wouwer. de Umbra, cap. XXIV. WEITZIUS.

6. *Implicat gazas virentes*] Meliùs, *caſas*. Tibullus:

*Ludit, & ex virgis exſtruit arte caſas.* PITHOEUS.

Ibid. *De flagello myrteo.*] Iſidorus Origin. XVII. cap. V. & VI. *Summitates vitium & fruticum, flagella nuncupantur.* Myrtum eſſe frondem Veneris, ex omni prope antiquitate diſcimus. Ideoque populari epitheto dicta eſt à Virgilio *Paphia*, II. Georg. & *Cythereïa* Ovidius. (*Vide uberiores Notas, aut Carolum Paſchalium in Opere Coronario, lib.* VII. *cap.* XVIII. & XIX.) WEITZIUS.

7. *Cras Dione.*] Mater Veneris. Hic pro ipſa Venere. Et quoties *Dione* pro Venere? Scaliger in Senecæ Medeam. v. 661. IDEM.

Ibid. *Fulta ſublimi throno.*] Sunt qui malint *thoro*. Sed & in vetuſto Epigrammate de Auguſti cœna δωδεκαθεῶν meminimus ſcriptum:

*Fugit & auratos Juppiter ipſe thronos.* PITHOEUS.

*Ibid.*] Caſaubonus ad Suetonium lib. II. pag. 145. hic legere mavult, *toro*, Seneca Agamemnone, v. 9.

*— Hoc ſedent alti toro,*
*Quibus ſuperba ſceptra geſtantur manu.* WEITZIUS.

*Ibid.*] Hinc ποικιλόθρονον vocat Ἀφροδίτην Sappho. Quamvis id vel de variegata & florida Veneris veſte accipi poſſit, argumento illius Homerici Iliad. X. ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε. Vel de variis pharmacis quæ mortalibus propinat Venus, *curis hominum gaudia miſcens*, ut Catullus loquitur. Nam cùm πολύθρονος dicatur multa habens θρόνα ſeu pharmaca, ejuſdem vocabuli vim ad ποικιλόθρονον etiam extendi poſſe ratio ſuadet. DOUZA.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

* Tuno quiuore deſuper huc ſpumeo pont' de glouo
Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos,
Fecit

9. * *Tuno quiuore deſuper huc ſpumeo pont' de glouo.*] An potius,

*Tunc liquore de ſuperno, ſpumeo ponti è globo,*
*Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos*
*Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.*

Nota ſunt Epigrammata Veterum εἰς Ἀφροδίτην ἀνερχομένην ἐκ θαλάττης. Et in fragmento Polyhiſtoris Pontici, quod Julio Solino in veteribus libris adſcriptum reperimus, de Venere legas:

*—— quæ ſemine Cæli*
*Parturiente ſalo divini germinis æſtu,*
*Spumea purpureis dum ſanguinat unda profundis,*
*Naſceris è pelago, placido Dea proſata mundo.* Pithoeus.

*Ibid.*] Amicus ille noſter, *Juno rore de ſupernis.* Mihi correctio apud Janum Douzam fabulanti feliciter ſub manu nata,

*Tunc cruore de ſuperno ac ſpumeo ponti è globo.*

Nihil clarius. Tangit Fabulam qua fingitur Venus è ſpuma maris nata, & è ſanguine prolium (ut honeſte dicam) Cœli. Tibullus:

*—— is ſanguine natam,*
*Is Venerem è rabido ſentiet eſſe mari.*

Arnobius: *Nunquid à nobis dicitur ex pelagi ſpuma & ex Cœli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coaluiſſe candorem?* Lipsius.

Ibid. *Spumeo ponti è globo.*] Venus ex mari concepta dicitur, quoniam ex humecta natura conſurgit coëundi aviditas. Hinc & *ſalax* dictus homo Venerius & libidinoſus, à ſalo. Sanè Venus Ἀφροδίτη dicta, quod è maris ſpuma ſit nata, juxta Heſiodum. Et rationem adſignat Joach. Camerarius ſenior Ὑπομν. Decur. I. cap. IV. Ariſtoteles tamen lib. II. de Generat. animal. ita vocatam Venerem tradit, quod ſeminis natura ſit ἀφρώδης, id eſt ſpumoſa. Vide Notas ad Dracontium, v. 276. & ad Muſæum, v. 249. *& uberiores Notas in Pervigil.* Aliam tamen ab iſtis rationem ad-

Fecit undantem Dione de maritis imbribus.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

Ipſa gemmas purpurantem pingit annum floribus,

Ipſa

adſignat ὁ θαυμάσιος Heinſius, qui in Ariſtarcho ſeu Exercit. ſacrar. cap. I. Ἀφροδίτην dictam adſerit, quòd Luciferum aut Venerem ſtellam, maris unda, ut Poëta loquitur, perfuſam manè ſalutaret. Unde & *Frutinal* Romanis, ut & *Fruti*, quæ eſt ipſa *Aphrodite*. WEITZIUS.

10. *Cærulas inter catervas.*] Nereides ac Neptuni pecudes. Seneca Hippol. v. 335. *Cærulus grex Nereidum.* IDEM.

Ibid. *Bipedes equos.*] An ita adpellat, quia pectoribus tenus molles eriguntur in auras? ut loquitur de Tauro Ovidius, xv. Metam. v. 512. Virgil. IV. Georg. v. 388. de Proteo,

*—— magnum qui piſcibus æquor,*
*Et juncto bipedum curru metitur equorum.*

Turnebo lib. XXVI. cap. XXIII. *Neptunii equi*, hippocampi, qui priores pedes habent, poſterioribus carent, ſed pontum legunt & natant. Statius I. Achilleid.

*Pone natant, delentque pedum veſtigia cauda.* IDEM.

II. *Fecit undantem* &c.] Scribe,

*Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.*

*Maritos imbres* adpellat Spumam & Cruorem, ſanè quàm eleganter. Deſunt autem hîc minimùm ſeni aut ſepteni verſus, quod adparet ex verſu intercalari præpropere poſito. LIPSIUS.

*Ibid.*] Ἐξ ἁλὸς ἀφρολόχευτον, ut Nonnus Dionyſ. lib. XLI, v. 99. loquitur. Vel, ut Anacreon,

Χαροπῆς ὅτ' ἐκ θαλάσσης
Δεδροσωμένην Κυθήρην
Ἐλόχευε πόντος ἀφρῷ. WEITZIUS.

13. *Ipſa gemmas purpurantem.*] Pithœus, *gemmans.* Poteſt etiam, *gemmeis.* LIPSIUS.

Ibid. *Purpurantem pingit annum.*] Pindarus Pyth. IV. Φοινικανθέμου ἦρος ἀκμὰν, *Veris purpureos-habentis-flores vigorem* dicit. Apud



Apu-

Ipſa ſurgentis papillas de Faboni * paritu
Urguet in totos * pentes; ipſa roris lucidi,
Noctis aura quem relinquit, ſpargit umentis aquas,
*.Et me cantat lacrymæ trementes decadunt pondere.

Gutta

Apuleium lib. VI. in nuptiis Cupidinis & Pſyches, *Horæ dicuntur roſis & cæteris floribus purpurare omnia.* Et lib. X. *Quod Ver in ipſo ortu jam gemmulis floridis depingeret & jam purpureo nitore prata veſtiret.* Ver autem *pictor mundi* non temerè cuidam veterum adpellatur: tanquam de Apelle, aut acupictore Phrygione ſermo eſſet, qui colorum varietate multijuga ſuam illuſtrant & diſtinguunt picturam. Vid. Not. *Gemmeis floribus.*] Inſtar gemmarum lucentibus, annumque ſuaviſſima varietate diſtinguentium aut condecorantium. V. N. WEITZIUS.

14. *Ipſa ſurgentis papillas de Faboni paritu.*] Rectius fortaſſis,

*Ipſa turgenteis papillas de Favoni ſpiritu*
*Urguet in toros ſtupentes* —— PITHOEUS.

*Ipſa ſurgentis papillas de Faboni * paritu Urguet in totos * pentes.*] Truncatam vocem arbitror, & ſcribo, *Urguet in thoros tepentes.* Priori etiam verſu malim, *Turgentes papillas.* Favonii *ſpiritum* verè invenit & ingenioſè Pithœus. LIPSIUS.

*Ipſa ſurgentes papillas.*] Rectum puto *ſurgentes*, quod interpretor tumeſcentes ac ſororiantes, & veluti ſtrophio obnitentes, atque, ut cum Catullo dicam, *luctantes.* Eas *horridulas* vocat Plautus in Pſeudolo: *Papillarum horridularum oppreſſiunculæ.* DOUZA.

*Ipſa turgentes papillas.*] *Turgere* aut *tumere* propriè virginum eſt, quarum plena pubertate habitus viro maturus eſt, toto velut corpore tumeſcente, præſertim pectore & mammis. Unde & *tumida virginitas* à Papinio dicitur II. Thebaid. & Cypriano in Sodoma, de Lothi filiabus, *Virginitas in flore tumet.*

*Papillas.*] Catullus in Argonaut. *Strofio luctantes* adpellat *papillas.* Nonnus lib. XII. v. 393. οἰδαλέην ἀγάμητον ἀντιτύπου μαζοῦ. Pulchrè Martialis lib. VIII. epigram. LXVIII.

*Et talis tumor excitat papillas,*
*Qualis cruda viro puella ſervat.*

Idem *creſcentes* dixit; Prudent. in Symmach. II. v. 38. *tumidas*, Maximian. *duras ſtanteſque.* WEITZIUS.

15. *Unguet* (ita laudat, cum Lipſius aliique ediderint *Urguet*) *in toros tepentes.*] *Unguento* enim *fragrantiſſimo prolubium libidinis* ſuſci-

Gutta præceps orbe parvo ſuſtinet caſus ſuos.
In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.
Umor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus,
Mane virgineas papilla ſolvit umenti peplo.



*ſuſcitatur*, ut habent verba Apuleii lib. x. Sicuti inibi, *matrona quædam pollens & opulens, cuncto prorſus ſpoliata tegmine, de ſtanneo vaſculo, ſeſe perungit oleo balſamo*, &c. vide locum.

16. *Noctis aura quem relinquit.*] Legerim, *quom reliquit.* Lipsius.

*Ibid.*] Non aſſentior, inquit doctiſſimus Johan. Wouwerius ad Apulejum, hîc corrigenti: *quum reliquit.* Ipſa Dione ſpargit humorem roris, quem relinquit aura lucidæ noctis. Weitzius.

17. * *Et me canat lucrime trementes detadum pondere.*] Videor pro parte emendare poſſe, *Et micant lacrimæ trementes.* Intelligit autem guttulas illas è rore ſubſilientes & laſcivientes. Cetera non poſſum. Lernutius noſter, *decadivo pondere.* Lipsius.

*Ibid.*] Pulchra tralatione *roris guttas* nuncupat *lacrymas.* Apud Achillem Tatium lib. vi. pag. 149. τὸ μὲν δακρύον παίνεται, τὸ δὲ μέλαν πορφύρεται, καὶ εἶναι ὅμοιον, τὸ μὲν ἴῳ, τὸ δὲ ναρκίσσῳ. Sicut verſa vice *ros* pro *lacrymis* poni amat. V. N. Weitzius.

Ibid. *Decidivo pondere.*] *Decidivum & deciduum.* Nonius Marcellus cap. ii. n. 241. *Pondere.*] Eſt etiam rebus minutiſſimis ſuum pondus; ut hic guttæ. Virgil. Culice, v. 7. *Pondere vel Culicis levior.* Plautus Perſa, 2, 2. *Neque ſtipulæ levius pondus eſt.* Et quid levius pondere guttæ? & tamen aliàs dicitur, *Gutta cavat lapidem.* De quo V. N. 1 Pont. 1. 70. Idem.

19. *In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*] Videtur legendum, *prodierunt.* Nec abs re ſuſpicetur quis, & hæc & alia quædam in hoc carmine confuſa, nec ſuo loco poſita. Pithoeus.

21. & ſeqq. *Mane virgineas papilla ſolvit umenti peplo.* &c.] Placet conjectura: (ea Lipſii, & Douzæ eſt)

*Manè virgines papillas ſolvit humenti peplo:*
*Ipſa juſſit mane ut udæ virgines nubant roſæ,*
*Fuſa aprino de cruore, deque Amoris oſculis,*
*Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris.* Pith.

*Mane virgineas papilla.*] Scribo, *virgines papillas*, nondum oppreſſas & maritas. Lipsius.

Ibid. *Humenti peplo.*] Omnis veſtis *peplo* denotari videtur. Simile quid notat elegantiſſimus Barthius ad Claudian. pag. 458. Weitzius.

* Ipiuſſit mane tuæ virgines nubant roſæ
* Fuſta prius de cruore deque amoris oculis;
Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris.
Cras ruborem qui latebat veſte tectus ignea,
Unica marito nodo non * pudent ſolvere.
*Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit; cras amet.*
Ipſa Nimfas Diva loco juſſit ire myrteo,
Et Puer comes puellis. Nec tamen credi poteſt
Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.

Ite

22. * *Ipiuſſit mane tuæ virgines nubant roſæ.*] Pithœus, *Ipſa juſſit.* rectè. Reliqua ſic Janus Douza: DOUZA, inquam, MEUS, non iterum in tranſcurſu dicendus. Tot mihi in illum juſti amoris cauſſæ, tot admirationis ſunt. Omitto poëſim, & cum poëſi ſupra hoc ſæculum doctrinam: probitas, & ingenui mores, &, quæ nihil gratiæ cauſſa facit, gratia, dî boni, in quo homine paria ſunt, aut erunt! Ut verè de illo hoc elogium & ad præſtationem, quod dicitur, ſcripturus ſim, *Vera proles Muſarum, & alumnus Gratiarum.* Nec abripit amor me. Judicio hoc ſcribo, ſi quid umquam: & peto quæſoque (vita tantùm mihi, aut fama apud poſteros ſit) ita hæc legant non quaſi laudem ab amico; ſed ſententiam à jurato teſte. Redeo in viam. Douza, inquam, legebat. — *mane ut udæ virgines nubant roſæ.* rectiſſimè. Venus juſſit, ait poëta, ut mane virgines tegant ſe ornentque udis ab humore noctis & quaſi ebriis roſis. Nec fallet lectorem *Nubendi* hîc verbum, priſca ſignificatione, Velandi. LIPSIUS.

Ibid. *Virginis nubant roſæ.*] Id eſt, velent. Onomaſticum: *Nubo*, Καλύπτω. Eſt enim *nubo* propriè operio. Arnob. lib. III. *Quod aqua nubat terram, adpellatus eſt Neptunus.* WEITZIUS.

23. * *Fuſta prius de cruore, deque amoris oculis.*] Pithœus, *oſculis.* Non diu, ſed intente mihi quæſita correctio; quam repperi, & lego, *Fuſæ aprino de cruore.* Ab Hiſtoria hæc lectio, vel à Fabula potiùs. Nam roſas à ſanguine Adonis, quem aper occiderat, traxiſſe ruborem vulgo volunt Poëtæ. *Fuſæ* ergo, tinctæ ſive perfuſæ. niſi quis eligit, *Fuſcæ.* Bion de hac re,

*Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν.*

Ovidius, & alii. LIPSIUS.

25. *Cras ruborem ſolvere.*] Ut apud Virgil. IV. Æneid. *pudoris*

*jura*

Ite Nimfæ: poſuit arma, feriatus eſt Amor.
Juſſus eſt inermis ire, durus ire juſſus eſt:
Neu quid arcu, neu ſagitta, quid igne læderet.
Sed tamen cavete Nimfæ, quod Cupido pulcer eſt:
Totus eſt inermis idem, quando nudus eſt Amor.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit,*
*cras amet.*
Compari Venus pudore mittit ad te virgines.
Una res eſt quam rogamus, cede virgo Delia,
Ut nemus ſit incruentum de ferinis ſtragibus.

Ipſa

*jura reſolvere*, & *ſolvere pudorem*: quod eſt, clauſtra pudicitiæ effringere, diſrumpere, ſolvere: interprete Tiraquello Connub. 9. n. 154. WEITZIUS.

26. *Unica marito nodo non * pudent ſolvere.*] An potiùs,

*Unico marite nodo non pudebit ſolvere.*

Varro apud Nonium: *Novus maritus tacitulus taxim uxoris ſolvebat cingulum.* PYTHOEUS.

*Unico marito nodo.*] Quid ſi: *mariti nodo*, ut ſit ὑφὲν? DOUZA.

*Mariti nodo.*] Feſtiva tralatio. Qua & uſus Lucretius lib. IV, v. 1146. —— *validos Veneris perrumpere nodos.* V. N. WEITZIUS.

28. *Ipſa nimfas diva loco juſſit ire myrteo.*
*Et puer comes puellis.* —— ] Meliùs,
*Ipſa Nymphas Diva luco juſſit ire myrteo,*
*It puer comes puellis.* —— Et paulò poſt, *nudus ire juſſus eſt.* Sic enim infra,
*Juſſit & nudo puellas nil Amori credere.* PYTHOEUS.

30. *Si ſagittas vexerit*] *Vehere* hic eſt recondita habere arma. Alcimus ad Fuſcinam ſororem, v. 755. dixit, *Vehere fercula.* WEITZIUS.

35. *Totus eſt inermis idem quando nudus eſt Amor.*] Lege, *in armis.* PYTHOEUS.

*Ibid.*] Ea *arcum*, *ſagittam*, *ignem* ſupra nominat. V. N. noſtras ad Ovid. I Amor. v. 20. Porrò *hominem in armis* & *ſub armis*, armatum vocabant. Virgil. Plura hujus notæ obſervavit eruditiſſimus Salmaſius ad Trebellium Pollionem, pag. 323. WEITZIUS.

38. — *Virgo Delia.*] Diana, quia in Delio nata, V. N. IDEM.



40. Ipſa

Ipſa vellet ut venires, ſi deceret virginem:
Jam tribus choros videres feriatos noctibus:
Congreges inter catervas ire per ſaltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.
Nec Ceres, nec Bacchus abſunt, nec Poëtarum Deus;
* Detinent & tota nox eſt pervigila cantibus.
Regnet in ſilvis Dione: tu recede Delia.

Cras

40. *Ipſa vellet ut venires, ſi deceret Virginem.*] Auctor poëmatii de Herone & Leandro,

> Παρθένον οὐκ ἐπέοικεν ὑποδρήσσειν Ἀφροδίτῃ,
> Παρθενικαῖς οὐ Κύπρις ἰαίνεται. —— Pithoeus.

Ibid. *Ipſa.*] Domina, Venus. Weitzius.

41. *Jam tribus choros videres feriatis noctibus.*] Meliùs, *feriatos.* Eſt & pervigilii triduani exemplum apud Livium XIII. ſed hoc Veneris in ſilva, aut nemore, ante diem nuptiarum. Pithoeus.

42. *Congreges inter catervas.*] Gloſſ. ὁμόφυλος, *tribulis, congrex, gentilis.* Auſon. ep. ad Paulin. *congrege vulgo Anguſtas fervere vias.* Et Idyl. XI. Lege Scaligerum Auſon. Lection. lib. I. cap. XVII. *Segrex* exſtat apud Prudentium. V. N. Weitzius.

44. *Nec Ceres, nec Bacchus abſunt.*] D. Hieronymus adverſus Jovinianum lib. II. *Eſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt. Unde & Comicus*: Sine Cerere, *inquit*, & Baccho friget Venus. Idem.

Ibid. *Poëtarum Deus.*] Id eſt Apollo. Idem.

45. *Detinent & tota nox eſt pervigila canticis.*] An potius? *pervigilata c.* ut apud Cornelium Tacitum, *pervigilata nox convivio.* Pythoeus.

*Ibid.*] A fine lego, *pervigil à canticis.* ſyllaba præter vulgi morem ſcilicet producta, ut ïambum vitemus. Pythœus, *perviglanda.* Ad principium emendandum conor, *Detument.* id eſſet, tumorem & faſtum dii illi ponunt, effuſi in jocos, & ſolitam pervigilio hilaritatem. Scio Statium Papinium non abſimiliter ea voce uſum: (VI. Thebaidos, v. 478. *Detumuere animi maris, & clementior auſter Vela vocat.* ——) tamen adhuc delibero. Lipsius.

Ibid. *Perviglanda canticis.*] Ita in libro vetuſtiſſimo & optimo ſcriptum reperiri, teſtis eſt præſtantiſſimus Salmaſius ad Trebell. Pollionem, pag. 303. *Vigla*, pro *vigilia.* Unde βίγλαι Græcis bar-

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

Juſſit Hiblæis tribunal ſtare Diva floribus.
Præſens ipſa jura dicit, adſederunt Gratiæ.
Hibla totos funde flores quidquid annis adtulit.
* Hibla florum rumpereſt equant' ethne cāp-

Ruris

barbaris. Inde hic verbum *perviglare*. Vide ibidem alia hujus commatis. Weitzius.

*Ibid.*] Alii, *pervigilata*. Sic Tacitus *vigilatam convivio noctem* dixit XIII. Annalium. Douza.

48. *Stare floribus.*] Id eſt, oppleri, ornari, redimiri, conſpergi. Sic apud Virgil. VI Æneid. *ſtant lumina flamma*; valet, pleni flamma ſunt oculi. Ut & XII Æneid. dixit: *Jam pulvere cœlum ſtare.* quod eſt, oppletum eſſe pulvere. V. N. Weitzius.

49. *Præſens ipſa jura dicit, adſederunt Gratiæ.*] Bene Douza; *Præſes ipſa jura dicet, adſidebunt Gratiæ.* Et lepida hercle fictio eſt, ut Venus in illo tribunali quaſi Præſes Quæſitorque ſit: Gratiæ, adſeſtrices. Lipsius.

Ibid. *Adſidebunt Gratiæ.*] Scribit Phornutus, adſidentes Venerem ſibi habere Gratias, & Suadelam, & Mercurium. Venus Gratiarum choro ſtipatur, & toto Cupidinum populo comitatur, apud Apul. lib. II. VI. & X. V. N. Weitzius.

50. *Hibla totos funde flores quidquid annis adtulit.*] Omnino legendum, *annus*, vel *Ænnas*, ut apud Arnobium lib. V. vetus exemplar: *Et in altera fabula Ennade nemus.* Pythoeus.

51. *Hibla florum rumpereſt equant' etbne cāp-*] An? *Hibla florum rumpe veſtes quantus Ætnæ campus eſt*: ut veſtium nomine ſignificet thecas & vaginas florum; & *campi*, planitiem ad radices montis Ætnæ, fontibus floribuſque amœniſſimam. Niſi quis malit, *Hibla florum rumpe veſtes quantus Ennæ campus eſt.* Nam & ſic Plinius *allii veſtes* dixit, & in nemore Ennenſi flores legens Proſerpina rapta dicitur. Pithoeus.

*Ibid.*] Pythœus, *quantus Ætnæ campus eſt.* Fortaſſe ſic,

*Hibla florum rumpe veſtem quantus Ennæ campus eſt.* Lipsius.

*Hybla florum rumpe veſtem.*] Jucunda oppidò perquam tralatio: cujus exempla require in Indice Dracontii. Weitzius.

Ibid. *Quantus Ennæ campus eſt.*] Campus Ennenſis in floribus ſemper eſt, & nullo non tempore vernus: ut ait Solinus & Cicero, & utroque prior Ariſtoteles inter Naturæ miracula refert.

De

Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæque ſilvas, quæque lucos, quæque montes incolunt.
Juſſit omnis adſidere pueri Mater alitas,
Juſſit & nullo puellas nil Amori credere.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

Et

De *Ætna* (ut legit Pythœus) Claudian. lib. I. de Raptu, v. 72. *Ætna parens florum.* Ubi vide ſequentia: quanquam Parrhaſius *Enna* pro *Ætna* legendum eſſe contendat, quem vide in Comment. IDEM.

52. *Vel puellæ montium.*] *Vel* pro *&*. Exempla convaſavit Salmaſius in not. ad Capitolin. pag. 90. ad Lamprid. pag. 184, & ad Capitolin. pag. 260. IDEM.

55. — *pueri mater alitas.*] Lege *alitis*. Id eſt, Amoris, ſive Cupidinis. PYTHOEUS.

56. *Juſſit & nullo puellas nil Amori credere.*] Supra monuimus legendum, *nudo*. Id eſt, ſine armis. IDEM.

57. *Et rigentibus vergentes ducat umbras floribus, &c.*] Fortaſſis rectiùs legatur,

*Et recentibus virentes ducat umbras floribus.*
*Cras erit, qui primus æther copulabit nuptias.*
*Ut pater roris crearet vernus annum nubibus,*
*In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis:*
*Ut ſetus immiſtus omnes aleret magno corpore.*
*Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu*
*Intus, &c.*

Euripides non apud Ariſtotelem modò lib. VIII. Ethic. ſed & Athenæum lib. XIII. & Stobæum in Phyſicis:

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ'. ὅταν ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ·
Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο·
Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον ἐς ταυτὸν δύο
Τίκτουσι μὲν πάντα, καὶ ἐκτρέφουσ' ἅμα.

Hic etiam confer Virgiliana illa lib. II. Georg.

*Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther*
*Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes*
*Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.*

Pa-

Et rigentibus vergentis ducat umbras floribus.
Cras erit qui primus æther copulavit nuptias,
Ut * pāt totis crearet vernis annum nubibus
In ſinum maritus imber fluctus alma & conjugis,
* Ut fletus immixtus omnis aleret magno corpore.
Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,

Per-

*Pater* igitur *roris* Juppiter, vel eſt Æther, ut Arnobio lib. v. & Lucretio lib. I. De natura rerum:

*— pereunt imbres, ubi eos pater Æther*
*In gremium matris Terraï præcipitavit.*

Unde illa Virgiliana expreſſa videntur. Et *vernus*, ut Juvenali Sat. v.

*— fremeret ſævâ cum grandine vernus*
*Juppiter.* — Nec abludunt illa Solini ex Pontico; quæ ſupra. IDEM.

58. *Cras erit qui primus Æther.*] Fortè, *quo primus Æther.* LIPSIUS.

59. *Ut pater roris.*] Pindarus Olymp. XIII. ὕδατα ὄμβρια nominat παῖδας νεφέλας, *aquas pluvias, nubis filias.* Hanc in rem aliquammulta comportavit Rittershuſius ad Oppian. I. Halieut. v. 735. WEITZIUS.

60. *In ſinum maritus imber fluctus.*] Lego, *fluxus.* Ita apud Lucanum:

*— æther defluxus in Auſtrum.* Pithœus, *fluxit almæ conjugis.* LIPSIUS.

*Ibid.*] Arnob. lib. v. *Vos Jovis & Cereris coitum, imbrem dicitis, dictum telluris in gremium lapſum &c.* V.N. WEITZIUS.

61. *Ut fletus immixtus omnis aleret magno corpore.*] Dixi, & non muto, legendum *fœtus*: ex ſententia, & Virgilio, quem expreſſit. Turbat me tamen quòd inſolens eo loco Poëtæ noſtræ ſpondæus eſt. Itaque per me ſanè legatur, *Utque fœtus mixtus omnes.* LIPSIUS.

62. *Ipſa vernas atque mentem.*] Pithœus, *Ipſa venas.* IDEM.

Ibid. *Mentem permeante ſpiritu.*] Docebat Empedocles *mentem ſacram*, id eſt, Deum, per univerſa diffuſam, vegetare atque movere omnia. *&c.* Illa mens hic *Veneris* nomine inſignitur, ut vult ingenioſus Barthius ad Claudianum. (*Ad verſus proxime ſequentes vide uberiores Notas.*) WEITZIUS.

65. *Tra-*

Perque cœlum, perque terras, perque pontum ſubditum,
Pervium ſui tenorem ſeminali tramite
Imbuit, juſſitque mundum noſſe naſcendi vias.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*
Ipſa Trojanos nepotes in Latino tranſtulit;
Ipſa Laurentem puellam conjugem nato dedit;
Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem.
Romuleas ipſa fecit cum Sabinis nuptias,
Unde Rames & Quirites, proque prole poſterûm
Ro-

65. *Tramite.*] Turpiculum quid hîc latet. V.N. Idem.

66. *Imbuit.*] Sæpe hoc verbum ad rem traducitur Veneream. Horatius, Valerius Flaccus, Silius, Nemeſianus. V. N. Idem.

68. *Ipſa Trojanos nepotes in Latino tranſtulit.*] Meliùs, *in Latinos.* Pithoeus.

*Ibid.*] Virgil. in Æneide. Weitzius.

69. *Laurentem puellam.*] Laviniam, Latini Regis, qui Laurenti regnabat, filiam. *Conjugem nato.*] Æneæ. Idem.

70. *Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem.*] Dionyſius nominat *Iliam Veſtalem.* Livius lib. 1. *Rheam Silviam.* V.N. *De ſacello.*] *De* pro *ex.* Tertullianus de Præſcriptionibus: *Et ipſe Chriſti traditor de Apoſtolis fuit.* Vide plura exempla apud Adamum Dürrerum de particulis Lat. linguæ, in *De.* Idem.

71. *Romuleas ipſa fecit.*] Verſûs ratio exigit ut ſcribatur, *Romuleas.* Et paulò poſt:

> *Unde Ramnes & Quirites: proque prole poſterûm*
> *Romuli, patrem creavit, & nepotem Cæſarem.* Pith.

72. *Unde Rames & Quirites, proque prole poſterûm Romuli matrem crearet, & nepotem Cæſarem.*] Falſa lectio. Quid? an ex nuptiis Sabinarum cum Romanis creata mater Romuli? Atqui Romulo jam regnante junctæ illæ innuptæ nuptiæ; nedum ut ex illis Romulo mater. Perſevero ergo legere,

> *—— proque prole poſterûm*
> *Romoli, patrem crearet & nepotem Cæſarem.*

Romoli matrem crearet & nepotem Cæſarem.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

Rura fœcundat voluptas: rura Venerem ſentiunt.
Ipſe Amor puer Dionæ rure natus dicitur.
Hunc ager cum parturiret, ipſa ſuſcepit ſinu,
Ipſa florum delicatis educavit oſculis.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

Ecce, jam ſuper geneſtas explicat * aonii latus.
Quiſ-

Sententia non dubiè in gratiam Auguſti; Venus, inquit, conciliatrix fuit Romanorum Sabinarumque nuptiis, ut ex iis Rhamnes & Quirites crearet, & in poſtera ſæcla utrumque Cæſarem, patrem cum nepote. LIPSIUS.

Ib. *Unde Rhamnes.*] *Rhamnes* alii à Romulo adpellatos; alii *Rhamnes* & *Luceres* vocabula eſſe Tuſca volunt, ut refert Varro lib. IV. Ovid. III. Faſtor. v. 131. In Arte v. 342. Horatius in Arte Poëtica:

*Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes.*

Id eſt, equites, vel juvenes feroces atque elati; Lambinó interprete, & Turnebo lib. III. cap. II. Vide Sex. Aurel. Victorem de Viris illuſtribus, cap. II. WEITZIUS.

Ibid. *Quirites.*] Feſt. & Iſidor. Orig. IX. cap. II. Gloſſ. ἀνὴρ Ῥωμαῖος, *Quiritis.* Et alterum: *Quirites*, πολῖται Ῥωμαῖοι. IDEM.

75. *Rura fœcundat.*] Gloſſ. γονιμῶ, *fecundo.* V.N. IDEM.

77. *Hunc ager cùm parturiret, ipſa ſuſcepit ſinu.*] Lego & diſtinguo,

*Hunc ager, cùm parturiſſet ipſa, ſuſcepit ſinu:*
*Ipſa florum delicatis educavit oſculis.* LIPSIUS.

Ibid. *Ipſa ſuſcepit ſinu.*] Virgilius:

*—— tellure cadentem*
*Excepi, fovique ſinu ——* PITHOEUS.

80. *Ecce jam ſuper geneſtas explicant * aonii latus;*
*Quiſque tuus quo tenetur conjugali fœdere.*] Melius fortaſſis,

Qui-

Quiſque tuus quo tenetur conjugali fœdere.
Subter umbras cum maritis ecce balantum gregem.
Et canoras non tacere Diva juſſit alites.
Jam loquaces ore rauco ſtagna cygni perſtrepunt,
Adſonant aërei puellæ ſubter umbram populi,
Ut putas motus Amoris ore dici muſico,
Et neges queri ſororem de marito barbaro.
Illa cantat: nos tacemus: quando ver venit meum?

Quando

*Quique cœtus continetur conjugali fœdere.*
*Ecce, jam ſuper geneſtas explicant tauri latus.*
*Subter umbras, cum maritis ecce balantum greges.*

Calpurnius Eclog. I. iiſdem fere verbis:

*Cernis ut ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ*
*Molle ſub hirſuta latus explicuere geneſta.* IDEM.

*Ibid.*] Pithœus, *aëdon*. Aut ego me amo, aut Phœbus me amavit, cùm correxi, *explicant agni latus*: Nec ſanè ſignificantiùs exprimi potuit decubitus ille ovium in latus, quaſi apricantium. Id enim ſolent ſuper geniſtas, myricas & humiliores frutices. LIPSIUS.

Ibid. 80. *Super geniſtas.*] Clariſſimus Zehnerus in Nomenclatore idem ait eſſe, quod *Spartum* & *Spartium*, Germanicè, Pfrimmen. Adi Plin. lib. XXI. cap. XII. & lib. XXIV. cap. IX. WEITZIUS.

81. *Quiſque tuus quo tenetur.*] Fortaſſe, *Quiſque cœtus continetur*. LIPSIUS.

*Quiſque cœtus.*] Univerſè hoc verum. V.N. WEITZIUS.

83. *Jam loquaces ore rauco cygni.*] E Virgilio II Æneid. v.458.

*Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cygni.* IDEM.

85. *Adſonant aërei puellæ, &c.*] Scribe potius, ac diſtingue ſic:

*Adſonant Terei puellæ ſubter umbram populi,*
*Ut putes motus amoris ore dici muſico,*
*Et neges queri ſororem de marito barbaro.*
*Illa cantat, nos tacemus: quando ver venit meum?*
*Quando fiet muta chelidon, & tacere deſinam?* PITH.

*Adſonant Terei puellæ.*] Philomela & Progne: de quibus abunde Naſo Metamorphoſ. lib. VI. ad quem viſe. Vide & N. WEITZIUS.

86. Ut

Quando * faciam ut celidon, ut taceret deſinam.
Perdidi Muſam tacendo, nec me Phœbus reſpicit.
Sic Amyclas, cum tacerent, perdidit ſilentium.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

EXPLICIT PERVIGILIUM VENERIS.

86. *Ut putas motus amoris.*] Lego *putes*, & deleo ubique notam rogandi. Nec plura de hoc Pervigilio, ne ipſe pervigilem. LIPSIUS.

87. *De marito barbaro.*] Tereo, qui & Ovidio Metam. lib. VI. *Barbarus* indigitatur. WEITZIUS.

88. *Quando ver venit meum?*] Signum pro re ſignata. *Ver* ponit pro ipſa hilaritate, ad quam invitant florentia Veris tempora. Adi Horat. I. Carm. IV. Q. d. Quando ille tandem illuceſcet mihi dies, ut, veterno excuſſo effundatur animus in lætitiam & ſenſibus imis, voceque ac geſtu eamdem explicem atque expromam? V. N. IDEM.

89. *Quando ſiet muta chelidon.*] Ita legendum, pro *facit*; quod metri ratio non admittit. Hirundines tempore hiberno conticeſcunt. IDEM.

# PERVIGILIUM VENERIS,

*Trochaico metro:*

SUNT VERO VERSUS XXII.

[Hunc Titulum præfert Msc. Cl. Salmaſii.]

*CRAS AMET, QUI NUMQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.*

Ver

2. VEr novum, ver jam canorum, vere natus Orbis eſt.] Hæc lectio ſola mihi vera videtur. Nempe Orbem vere natum fuiſſe vult. Hoc hauſit è Virgilio: Georg. II. 336.

*Non alios primâ creſcentis origine mundi*
*Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem*
*Crediderim; Ver illud erat, Ver magnus agebat*
*Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri:*
*Cùm primum lucem pecudes hauſere, virûmque*
*Ferrea progenies duris caput extulit arvis.*

Ex eodem certe loco etiam ſumpſit quæ infra leguntur:

*In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis,*
*Unde fœtus mixtus omnes aleret magno corpore.*

Sic enim ibidem Virgilius, ubi cecinit Orbem Vere natum eſſe:

*Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther*
*Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes*
*Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.*

De quo, ad locum. Videbis tamen in meo Codice legi, *Vere natus Jovis eſt*. Quod neminem morari debet. Ex vitioſo enim ſcribendi modo hæc menda nata eſt, *Orvis eſt*, ex quo *Jovis* fecêre.

:r novum, ver jam canorum, vere natus Orbis eſt.
Vere

e. Ne quis laboret inquirere in Fabulas, an Juppiter verno ıpore natus ſit. SALMASIUS.

*'er novum, ver jam canorum, vere natus Orbis eſt.*] Ita vulex conjectura P. Pythœi. Nec aliter citat Lipſius Phyſioiæ Stoicæ, lib. II. cap. IX. ubi mundum vere natum videri ëritur: auctoribus Virgilio, D. Ambroſio, Damaſceno, & ıegyriſte ad Maximianum. Tamen in Electis eidem placuit, *renatus orbis eſt*. Vulgatam probat Salmaſius. Cujus memnæ ſcribunt, *Vere natus Jovis eſt*: aut, *aovis*. Quid ſi? *Ver atus annus eſt*. Boëthius de Conſolatione Philoſophiæ lib. I. m. V.

*O ſtelliferi conditor Orbis*, &c.
*Tu frondiſluæ frigore* BRUMÆ
*Stringis lucem breviore mora;*
*Tu, cùm fervida venerit* ÆS
*Agiles noctis dividis horas;*
*Tua vis* VERNUM *temperat* AN
*Tu, quas Boreæ ſpiritus aufert,*
*Revehis miti Zephyro frondes;*
*Quoque* ARCTURUS *ſemina reddat,*
*Sirius lætas urit ſegetes.*

illum locum emendo, variè interpolatum vulgo. Idem IV. carm. VI.

*— Vere tepenti*
*Spirat florifer* ANNUS *odores;*
ÆSTAS *Cererem fervida ſiccat;*
*Remeat pomis gravis* AUTUMNUS;
HIEMEM *defluus irrigat imber.*

le & lib. II. ſect. II. Petronius in fragmento:

*Ante oculos ſtabat quidquid promiſerat annus.*

mplura alia poſſent adferri firmandæ huic conjecturæ. Sed eſtat, antequam progrediamur, hîc audire incerti quoque ctoris pulcherrimam verni temporis deſcriptionem, ex Anthoiâ Græcâ, Conrado Rittershuſio interprete:

*Poſtquam Bruma polo tandem ventoſa receſſit,*
*Florida purpurei rident jam tempora Veris,*



Et

Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam reſolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix, inter umbras arborum,
Inplicat caſas virentes de flagello myrteo.
Cras Dione jura dicit fulta ſublimi throno.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*



*Et pulla eſt viridi circumdata gramine tellus.*
*Jamque comas reparant plantæ, nova frondibus arbor*
*Luxuriat, campiſque redit ſilviſque juventa.*
*Jam matutinum vario gemmantia flore*
*Prata bibunt tenerum rorem, calyceſque roſarum*
*Dum ſeſe lento pandunt conamine rident.*
*Fiſtula paſtorem delectat, montibus altis*
*Dum canos hœdos ſalientes ſpectat & agnos:*
*Spectanti tacitum pertentant gaudia pectus.*
*Jam tumidum mare nauta ſecat, dum carbaſa complent*
*Innocuæ Zephyrorum animæ; crineſque revincti*
*Flore hederæ, læti adſueſcunt agitare choreas,*
*Euoë vitifero clamantes Euoë Baccho.*
*Taurigenis ſtudium eſt apibus ſua cerea mella*
*Fingere, multiforiſque eadem denſare coacta*
*Alveolis: mireris opus, ſtupeaſque laborem.*
*Aëra concentu mulcet genus omne volucrum,*
*In fluctu Halcedo, tectorum ad culmina Hirundo.*
*Fluminis ad ripas cyenus, luſcinia luco.*
*Cùm tellus igitur cumque omnis floreat arbos,*
*Cùm paſtor cantu pecoris demulceat aures,*
*Cùm mare nauta ſecet, cùm ducas, Bacche, choreas,*
*Parturiant & apes, & cantu perſtrepat ales;*
*Quidni conveniat cantare hoc tempore vatem?*
*Quis taceat, dum cuncta vigent, dum cuncta loquuntur?*
*Quis non Vere lubens lumen vitale relinquat?*

Et nonne probabile eſt, ait Lipſius, amœniſſimo, & maximè vegetabili tempore, cuncta cœpiſſe? cùm & animantes pleræque fœtificant, & aliæ naturæ partes concipiunt aut parturiunt, εὐλόγως dicamus & ipſam totam peperiſſe. At ſunt tamen qui fortiter abnuant, Hebræorum auctoritate confiſi, quibus principium anni in Autumno fuit: ergo & Mundi. Exſtat Hadriani Junii V. C. erudita diſceptatio cum ſacrifico quodam,

Tunc cruore de ſuperno, ſpumeo Pontus globo,
Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos,
Fecit undantem Dionen de maritis imbribus.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*
Ipſa gemmis purpurantem pingit annum floribus.
Ipſa

*Quo anni tempore conditus ſit Mundus*, Animadverſorum lib. III. cap. VIII. SCRIVERIUS.

3. — *Vere nubunt alites,*
*Et nemus comam reſolvit.*] Dracontius in Hexaëmero. v. 144.

*Pennigerum vernare nemus vapor urget in uſus*
*Pignoris.* — IDEM.

6. *Implicat caſas virentes de flagello myrteo.*] Benè ſanè ita correxêre, pro *gazas*: quas hîc etiam præfert meus Codex. *Myrteas caſas* infra nominavit;

*Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.* SALMASIUS.

9. & ſeq. * *Tuno quiuore deſuper buc ſpumeo pont' de glouo.*] Clare in meo exemplari: *Tunc cruore de ſuperbo.* Hoc pro *ſuperno.* Nec alia medicina opus. Idem etiam expreſſè habet, *ſpumeo pontus globo*, & *Fecit undantem Dionen.* Nec aliud quærendum. *Spumeus globus* pro ſpuma in globum conformata, ut ſæpe viſitur. E ſpuma & ſanguine Cœli nata Venus. *Fecit*, pro creavit. Sic infra de Roſa ex eodem codice, *Facta de cruore.* Idiotiſmus illius ævi. Sic apud Scholiaſten Juvenalis, *Si tres liberos fecerit*, pro procreaverit. IDEM.

*Ibid.*] Cùm diſertè in Pythœano legatur, *Dione*, videtur fortaſſe meliùs:

*Tum cruore de ſuperno ſpumeum Ponti globum*
*Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos,*
*Fecit undantem Dione de maritis imbribus.*

Si cui diſpliceat, *Fecit*, legat, me non admodum reclamante, *Excit.* SCRIVERIUS.

13. *Ipſa gemmas purpurantem.*] Noſter Codex: *gemmis*, pro *gemmeis.* SALMASIUS.

*Ipſa gemmis purpurantem pingit annum floribus.*] Et hîc poterat ſcribi, *Ipſa gemmeis.* Et apud Prudentium Περὶ στεφ. hymno I.

Ipſa ſurgentes papillas de Favonî ſpiritu

Urguet

*Scripta ſunt cœlo duorum Martyrum vocabula,*
*Aureis quæ Chriſtus illic adnotavit litteris,*
*Sanguineis notis & idem ſcripta terris tradidit.*

Pro, *Sanguinis notis.* SCRIVERIUS.

14. *Ipſa ſurgentes papillas de Favonî ſpiritu.* *Urguet in notos penates.* ] Ita clarè, de plano ut legi poſſit, MSC. Salmaſii. Corruptiſſima hæc in exemplari Pythœano. *Turgentes papillas* Lipſius malit, &, qui Lipſio heic nimiùm tribuit, Pythœus. Fruſtra. Quanquam non diſpliceret, *turgentes*, ſi ita liber vetus haberet: cùm habeat *ſurgentes*, id retinendum eſſe nemo non videt. Quod rectum quoque putabat filius Douza. At verò interpretatio, quam eruditiſſimus adoleſcens adhibet, frivola. *Surgentes papillas* interpretatur tumeſcentes ac ſororiantes, & veluti ſtrophio obnitentes, atque (voce Catulliana) *luctantes*: quaſque *horridulas* Plautus in Pſeudolo vocat:

*Papillarum horridularum oppreſſiunculæ.*

Mihi profectò hæ papillarum oppreſſiunculæ verè horridulæ. Nec vult Auctor ſurgentes papillas de Favonii ſpiritu Venerem compreſſiſſe & ſororiantes coercuiſſe ſtrophiis aut zonis. Longè aliud eſt, quod hîc latet. Meliùs me divinet, qui ſe id poſſe ſperet. Dicit igitur, Roſas ſurgentes de Favonii ſpiritu Venerem urſiſſe maritis ſuis imbribus, in hunc aut illum uſum. *Papillæ* ſunt roſarum alabaſtri, & prima germina. De quibus ubertim infra. Nunc ea quæ videntur obſcuriſſima, illuſtremus ſi fieri poteſt. Lipſius ex ſchedis Pythœanis edidit:

*Urguet in toros * pentes.*

Et truncatam vocem arbitratus reſcripſit, *thoros repentes*. Ipſe Pythœus, in editione Mamerti Patiſſonii, *totos pentes*, & conjecit, *toros ſtupentes*. Ego aliquando ſomniabam, *toros parentes*, vel *tepentes*. Quicquid conjecturarum hactenus adlatum, non convenit. Videamus, an ferri & explicari poſſit ſcriptura codicis Salmaſiani:

*Urget in notos penates.*

Amico cuidam meo in mentem veniebat, *Urget in nodos tenaces.* Certè librarius ille *notos* ubique ſcripſit pro *nodis*. Sic disertè infra,

*Unico marita noto non pudebit ſolvere.*

Urguet in notos penates. ipſa roris lucidi,

Noctis

Id eſt, *nodo*, quomodo eſt in Pythœano. Et, *Ipſa juſſit*, *mane ut ute*. id eſt, *uda*. Quæ ſcriptura clamat rectè conjeciſſe Douzam patrem: cùm legeretur, *mane tuæ*. Vide ad verſ. 22. *Nodos tenaces* accipiebat idem ſtrophiorum & zonarum: in eodem ut videtur lecto eruditus cum filio Douza, & papillarum horridularum oppreſſoribus. Nullum mihi dubium, *notos* valere *nodos*. Jam illud *nodos* corruptum puto; & legendum *nudos*. Ut nudos Penates dicat hiberno tempore deſtitutos floribus ac coronis; redimendoſque vernis & novis. Roſarum uſus in cubiculis averruncandæ vertigini. Plinius Naturalis Hiſtoriæ lib. xx. cap. xiv. *Ad recreandos defectos animo dignior è pulegio corona Varroni, quam è roſis, cubiculis noſtris pronunciata eſt.* De corona roſacea diſcumbentium & potantium, pleni poëtarum libri, Martialis, & veterum Epigrammatum Anthologia. Idem magnus Auctor, Natural. Hiſt. lib. xxi. cap. iii. poſtquam meminiſſet Coronæ roſaceæ, ſubdit: *Et jam tum coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque; ac ſepulchrorum & Manium: ſummaque auctoritas pactili coronæ. Sutiles aliorum ſacris invenimus, & ſollemnes cœnis. Tranſière deinde ad Roſaria.* &c. Vide eumdem capite ſequenti, quod eſt de Roſarum coronis. *Roſa naſcitur & germinat incluſa granoſo cortice, quo intumeſcente & in virides alabaſtros faſtigiato, paulatim rubeſcens dehiſcit ac ſeſe pandit, in calycis medio ſui ſtantes complexa luteos apices. Uſus ejus in coronis prope nimius eſt.* Plinianos hos *alabaſtros* noſter Auctor deſignat per *ſurgentes papillas*. Nam *ſurgentes*, omnimodis retinendum. i. e. naſcentes, germinantes, creſcentes. Sic *ſurgere meſſem* Maro i. Georgicôn, & optimi quique auctores. i. e. creſcere. De *papillis*, neminem morari debet. B. Hieronymus Epiſtola xxvi. ad Pammachium, Conſolat. ſuper obitu Paulinæ uxoris: *Quis parturientem roſam, & papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immaturè demeſſum, æquis oculis marceſſere videat?* Quem Plinius *alabaſtrum*, dicit *papillatum corymbum* vir ſanctus. Etſi corymbus racemi ſpecies ſit, hederaceo ſimilis: hîc tamen corymbum vocat roſæ nondum apertæ faſtigiatum mucronem. Vetus Epigramma hactenus ineditum; quod ex Codice Salmaſii deſcripſi:

## DE ROSIS.

*O quales ego mane Roſas procedere vidi!*
*Naſcebantur adhuc: neque erat par omnibus ætas.*
*Prima papillatos ducebat . . . . corymbos;*

 Al.

*Altera puniceos apices umbone levabat;*
*Tertia non totum calathi patefecerat orbem;*
*Quarta ſimul nituit mutato tegmine floris.*
*Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum,*
*Huic dum virgineus pudor extenuatur amictu.*
*Ne pereat, lege mane roſam; citò virgo ſeneſcit.*

Lacuna, quæ verſu tertio eſt, videtur commodè ſuppleri poſſe, ſi ſcribatur *nata*, aut *ſpica*. Verſu penultimo τὸ *extenuatur* nonnihil turbat. Lege cum Salmaſio, *exſinuatur*, & vide Eidyllium de Roſis; ubi ſimile. Verſu ultimo adſcriptum erat à docta neſcio qua manu, *cito*. quod videbatur deſiderari. Ex eodem codice ejuſdem ferè argumenti Carmen exhibuit olim Salmaſius ad Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores. Nempe hoc, & quidem nomine

FLORI.

*Venerunt aliquando Roſæ. Proh, Veris amœni*
*Ingenium! una dies oſtendit ſpicula florum,*
*Altera pyramidas, nodo majore tumentes;*
*Tertia jam calathos; totum lux quarta peregit*
*Floris opus. Pereunt hodie, niſi mane legantur.*

Auctores ii cum Hieronymo & Auſonio, Roſam in vaſculum explicitam, *calathum* vocant, à ſimilitudine; quæ mox foliis in ambitum læte lateque expanſis, imminere prænunciat caſum ſuum, oſtentans brevis ævi florem. Luſit & hoc argumento Auſonius, (ſive quis alius potiùs Scholaſticus poëta: nam Eidyllium hoc, & quædam alia ejuſdem ferè commatis poëmatia falsò diu credita Maronis eſſe) in Roſas. Quod Eidyllium totum, quia belliſſima occaſio eſt, aliquot locis à me interpolatum, heic adſcribam.

## ROSÆ. EIDYLLIUM VI.

VER *erat: & blando morientia frigora morſu*
*Spirabat croceo mane revecta dies.*
*Strictior Eoos præceſſerat aura jugales,*
*Æſtiferum ſuadens anticipare diem.*
*Errabam riguis per quadrua compita in hortis,*
*Maturo cupiens me vegetare die.*
*Vidi concretas per gramina flexa pruinas*
*Pendere, aut olerum ſtare cacuminibus.*
*Caulibus & patulis teretes colludere guttas,*
*Et cœleſtis aquæ pondere tunc gravidas.*
*Vidi Pæſtano gaudere roſaria cultu,*
*Exoriente novo roſcida Lucifero.*

*Rara pruinoſis canebat gemma frutetis,*
*Ad primi radios interitura die.*
*Ambigeres, raperetne roſis Aurora ruborem,*
*An daret, & flores tingeret orta dies.*
*Ros unus, color unus, & unum mane duorum;*
*Sideris & floris nam domina una Venus.*
*Forſan & unus odor; ſed celſior ille per auras*
*Diffiatur: ſpirat proximus iſte magis.*
*Communis Paphie Dea ſideris, & Dea floris,*
*Præcipit unius muricis eſſe habitum.*
*Momentum intererát, quo ſe naſcentia florum*
*Germina comparibus dividerent ſpatiis.*
*Hæc viret anguſto foliorum tecta galero:*
*Hanc tenui folio purpura rubra notat.*
*Hæc aperit primi faſtigia celſa obeliſci.*
*Mucronem abſolvens purpurei capitis.*
*Vertice collectos illa exſinuabat amictus,*
*Jam meditans foliis ſe numerare ſuis.*
*Nec mora; ridentis calathi patefecit honorem,*
*Prodens incluſi ſemina denſa croci:*
*At modò quæ toto rutilaverat igne comarum,*
*Pallida collapſis deſeritur foliis.*
*Mirabar celerem fugitivâ ætate rapinam;*
*Et dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas.*
*Ecce & defluxit rutili coma punica floris,*
*Dum loquor: & tellus tecta rubore micat.*
*Tot ſpecies, tantoſque ortus, varioſque novatus,*
*Una dies aperit; conficit una dies.*
*Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florum eſt.*
*Oſtentata oculis illicò dona rapis.*
*Quàm longa una dies, ætas tam longa roſarum;*
*Quas pubeſcentes juncta ſenecta premit.*
*Quam modò naſcentem rutilus conſpexit Eous,*
*Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.*
*Sed bene, quòd, paucis licet interitura diebus,*
*Succedens ævum prorogat ipſa ſuum.*
*Collige, virgo, roſas, dum flos novus, & nova pubes,*
*Et memor eſto, ævum ſic properare tuum.*

Hoc Eidyllium, quod hodie inter Auſoniana legitur, numero VI, Mariangelus Accurſius olim, Hieronymo Aleandro auctore & impulſore, Burdigalenſi poëtæ adſeruit una cum aliis nonnullis opuſculis; quum ea reperiſſent inter Auſonii ſcripta, cujus videbantur potiùs, quam Maronis: cum quo omnium primò excuſa ſunt. Cujus ſanè non ſunt: uti nec fortaſſis Auſonii. Quod in membranis ipſius operibus reliquis conjungantur, ficulneum argu-

Noctis aura quem relinquit, ſpargit humentes aquas.
Lacrimæ micant trementes de caduco pondere;

Gutta

gumentum eſt: nec ideo ipſius eſſe magis probes, quam quæ circumferuntur Diſticha Moralia, Dionyſio Catoni nunc adſcripta. De quibus vide Eliam Vinetum in hoc Eidyllium; & Joſephum Scaligerum Auſonianarum Lectionum capite penultimo; quo oſtendit Catonis Diſticha perperam Auſonio adtributa. Nos è diverticulo in viam tandem redeamus. *Papilla* igitur alabaſtrus, roſæ calyx nondum dehiſcens & patens, convolutis foliorum paniculis connivens. Epigrammata ſuperiora *nodum* vocant: & Germani hodieque, tam ſuperiores quàm inferiores, *Roſentknopfflin* & *Roſenknopken*. Quare hîc faſcia pectorali aut ſtrophio non opus ad tumorem papillarum cohibendum. IDEM.

*Urguet.*] Propellit, effundit in folia. Hoc Maro *trudere* dixit II. Georgicôn:

*Sed trudit gemmas & frondes explicat omneis.*

De avibus vernantibus Dracontius dixit,

—— *vapor urget in uſus Pignoris.* —— Vide l. 5.

*Unguet* quorundam, fatuum, inſulſum, & ineptum eſt. Dixi diſertè in MSC. haberi, *Urguet in notos penates.* Quomodo edidimus. Vix auſi illud *notos* in *nodos*, aut *nudos*, interpolare: cùm nonnemini fortaſſe videbitur retinendum, & aliam interpretationem, quam commenti ſumus, comminiſci poterit. Hoc agat. Palma in medio poſita eſt. Nihil temerè mutavimus. Quod ſi hæc nota diſpliceat, deleatur. IDEM.

15. & 16. —— *Ipſa roris lucidi,*
*Noctis aura quem relinquit, ſpargit humentes aquas.*] Ita lege ex meo Codice. Ex eo rore, inquit, quem noctis aura relinquit ſpargit aquas. Sæpe ſanè noctis aura omnem humorem roremque exſugit & exſorbet, præcipuè ſi ſit vehementior. Ubi minima eſt aura nocturna, tum ſolet eſſe manè maxima roris copia. SALMASIUS.

Ibid. —— *Ipſa roris lucidi,*
*Noctis aura quem relinquit, ſpargit humentes aquas.*] Fortaſſis melius, *Noctis aura quam reliquit.* Ut Virgilius VII. Æneid. *Cùm venti poſuere, omniſque repente reſedit Flatus.* —— SCRIVERIUS.

17. * *Et me canat lacrime trementes detadum pondere.*] Ita hactenus editum. Diſertè vetus Codex: *Et micant.* Lego: *Emicant.*

In

Gutta præceps orbe parvo ſuſtinet caſus ſuos;
In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.

Humor

In fine verſus idem habet diſertiſſimè ſcriptum: *de caduco pondere*. Veriſſima eſt lectio:

*Emicant lacrimæ trementes de caduco pondere.*

Nihil crebrius hac loquutione apud hunc Auctorem. Lacrimæ roris emicant trementes de pondere caduco; pondere ipſo, dum cadunt, trementes emicant. Sic *ſurgentes papillas de Favonii ſpiritu* ſupra dixit. Et infra multis locis præpoſitionem *De* ſic uſurpat. SALMASIUS.

*Lacrimæ micant trementes de cadivo pondere.*] Ita ſcripſi, ut verſui conſuleretur: *de cadivo pondere* verè & ingenioſè conjecerat Lernutius. Sic diſertiſſimè in membranis præſcriptum inveni. Sed Lernutius ex monſtroſo illo *detadum*, faciebat unica voce *decadivo*: nondum enim ad eum elegantiæ pervenerant quæ auctori noſtro familiares, *De Favonii ſpiritu* *De caduco pondere*. *De cruore* & *oſculis*. Et ſic multis locis Præpoſitio *De* occurrit in hoc opuſculo. SCRIVERIUS.

19. *In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*] Idem liber, *pudore*: qui & *prodiderunt* retinet. Fortaſſe ſcribendum:

*Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*

Purpuræ roſarum ab illis roris guttis perſperſæ prodiderunt ruborem ſuum, qui calycis nodo latebat tectus. Eamdem ſententiam ſequenti verſu exſequitur. Elegans porrò metaphora, *pudorem* pro *rubore* dicere. Sic veteri Poëtæ *pudoricolor*, pro *rubicundo*. SALMASIUS.

*In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*] Suſpicabar,

*In pudorem floris Ennæ prodierunt purpuræ.*

Natas vult jubente Venere roſas purpureas & ardentiſſimi ruboris (Mileſias vocant,) quæ roſas Ennenſes confunderent & colore vincerent. *Campus Ennenſis in floribus ſemper, & in omni vernus die*, ut ait Solinus. Meminitque Cicero VI. in Verrem. Et utroque prior Ariſtoteles. Propter campum illum eſt demerſum foramen, quà Ditem patrem ad raptus Liberæ ſeu Proſerpinæ exeuntem fama lucem hauſiſſe, eodem Solino auctore. Claudianus De raptu Proſerpinæ lib. II.

Enna

Humor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus,
Mane virgines papillas ſolvit humenti peplo.

Ipſa

*Enna parens florum.* Et eodem:

*—— nec mollia deſunt*
*Prata tibi; Zephyris illic melioribus halant*
*Purpurei flores, quos nec tua protulit Enna.*

Lib. III.

*Non qualem roſeis nuper convallibus Ennæ*
*Suſpexêre Deæ. ——*

Ibidem:

*Sic ait, & primâ greſſus molitur ab Enna,*
*Exitiique reos flores, ipſumque rapinæ*
*Deteſtata locum. ——*

Quibus locis, & præterea aliis, *Enna* ſcribendum; non cum vulgo, aut etiam cum Parrhaſio, *Ætbna.* Quin etiam apud Oppianum Halieuticôn III. non dubitem reſcribere Ἐνναίοιο pro Αἰτναίοιο. Hoc loco;

—— Α'λλοτ' ὅτι κούρλω
Περσεφόνλω ἥρπαξεν ἀπ' Αἰτναίοιο πάγοιο.

—— *Sed cùm virginem*
*Proſerpinam rapuit ab Ætnæo monte.*

Imò ab *Ennæo monte.* De quo raptu lege, præter Claudianum, Diodori Siculi narrationem initio lib. V. Ovid. IV. Faſtor. *Raptus ut Virginis edam.* Meminit & Cicero d. Verrin. VI. item Livius lib. XIV. compluresque alii. Arnobius lib. V. *In nemore Ennenſi quondam flores Proſerpina virago lectitabat.* Et: *Cùm in Siciliæ patulis purpureos legeret nondum mulier flores, ſed adhuc virago Proſerpina.* Idem alibi. SCRIVERIUS.

21. *Mane virgines papillas.*] Imperitè interpretantur, nondum compreſſas & maritas. Nullæ aliæ & hîc papillæ, quàm quas ſupra deſcripſimus; Roſarum, nempe, non *ſtrophio luctantes* Catullo in Argonauticis. Miſerè hîc natant, & in tenebris palpant Interpretes. IDEM.

22. *Ipſa juſſit mane ut udæ virgines nubant roſæ.*] Ita rectè viri docti. Ita ferè noſter Codex: *Ipſa juſſit manet tute. Utæ* pro *udæ*, ut ſupra (verſ. 14.) idem librarius *notos* ſcripſerat, qui *nodi* ſunt: & infra *noto*, pro *nodo.* SALMASIUS.

Ipſa

Ipſa juſſit, mane ut udæ virgines nubant Roſæ.
Facta Cypris de cruore, deque Amoris oſculis,

Deque

*Ipſa juſſit, mane ut udæ virgines nubant Roſæ.*] Ex membranis Salmaſianis adparet, quàm feliciter ſic olim de conjectura emendaverit locum aliàs corruptiſſimum pater Douza. In Msc. exſtant veſtigia veræ lectionis: *Ipſa juſſit manet tute.* Ita librarius; ſed auctor voluit: *mane ut udæ.* T pro D ſcribere ipſi perfamiliare & propemodum ſollemne: *Antipotes*, *Buſiritis*, *potager*, *potium*, *cauſiticus*, *ſervitus*, *avitus*, pro *Antipodes*, *Buſiridis*, *podager*, *podium*, *cauſidicus*, *ſervidus*, *avidus*, & ſexcenta talia non oſcitanti in eo Codice occurrunt. In hoc Carmine verſ. 26. ſcribit: *Unico marita noto.* Ubi Pithœus aliique rectè ediderunt, *nodo.* Et contra, D pro T etiam ſæpiſſime ſcriptum reliquit: *Ad*, *adque*, *pudres*, *prodinus*. *pladanus*, *medus*, *vades*, *muſta videa*: pro, *At*, *atque*, *putres*, *protinus*, *metus*, *vates*, *muſta vitea*: & infinita ejuſmodi. SCRIVERIUS.

23. *Facta Cypris de cruore, deque Amoris oſculis*] Cùm in membranis repperiſſem, *Facta prius de cruore*: non, *Fuſta prius*, quomodo Lipſius & Pithœus: *Prius* truncatam vocem (ut multæ aliæ in illo Codice) ſcribendumque omnino cenſui, *Facta Cypris de cruore.* Exploſa ea lectione, in qua ſibi mirè placet vir doctus, *Fuſæ aprino de cruore.* Quâ quoque damnatâ, meam protinus arripuit in confabulatione Cl. Salmaſius, tanquam elegantiſſimam & veriſſimam. *Facta* docuit ille hîc dici pro *nata* & *creata.* Sic ſupra, *Fecit undantem Dione*, pro *creavit.* Ad quem locum vide quæ nunc dicat, & olim ad Hiſt. Aug. obſervavit.

*Facta Cypris*, &c. Loquitur Auctor de Roſa: *Cypris* eſt genitivus. Inflexio Latina, *Hæc Cypris*, *hujus Cypris.* Non vult hoc loco Cyprin aut Venerem factam creatamve ex ſanguine; ſed Roſam, ex Veneris cruore ortam, aut purpuratam, Sed dices: Idipſum ſignanter correctione Lipſianâ exprimi, *Fuſa aprino de cruore.* Quæ lectio ab Hiſtoria, vel à Fabula. Nam Roſas à ſanguine Adonis, quem aper occiderat, traxiſſe ruborem vulgò volunt. Bion, Ovidius, & alii. *Aprinus* adjectivum ab *aper* ſecundùm analogiam quidem dici oportet, ut à *caper* vel *capra* dicitur *caprinus*: *Aprugnum* tamen video ab antiquis uſurpari, conſpirantibus Mssc. Codicibus vetuſtiſſimis. Plautus Perſâ, & Pœnulo habet *aprugnum callum.* Plinius lib. VIII. cap. LI. *Jam Catonis Cenſoris orationes aprugnum exprobrant callum: in tres tamen partes diviſo, media ponebatur, lumbus aprugnus adpellata.* Æl. Lampridius in Heliogabalo, *ſumina aprugna*: Quanquam (quid diſſimulem?) Salmaſius ad Hiſt. Aug. Scriptores

ob-

Deque gemmis, deque flammis, deque ſolis purpuris,

Cras

obſervat in Spartiani Vero, & in vitâ Getæ, *aprunam* frequentiùs ſcriptum in libris Mss. quàm vulgg. *aprugnam.* Demus itaque dici *aprinum*: malè nihilominus inepteque, καὶ ἀκυρολόγως dicetur *aprinus cruor*, Adonis quem aper occiderat cruor. Imò hîc cruor potius dicendus erat Adoneus; ſi locus eſſet fabulæ, quâ Roſas à ſanguine Adonis colorem traxiſſe putant. Bion Epitaphio Adonis, Ovidius x. Metamorphoſeôn, alii. De Roſa Luxurius, ſive quis alius illorum temporum Poëta, in Codice Msc. Salmaſii:

*Aut hoc riſit Amor, aut hoc de pectine traxit*
*Purpureis Aurora comis; aut ſentibus hæſit*
*Cypris, & hîc ſpinis inſedit ſanguis acutis.*

Ejuſdem auctoris eſſe Epigraphe oſtendit, cujus ſuperius illud Carmen, quod incipit, *O quales ego mane roſas!* Eidem quoque ſequens adtribuitur,

## DE ROSIS.

*Hortus erat Veneris roſeis circumdatus herbis,*
*Gratus ager dominæ: quem, qui vidiſſet, amaret.*
*Dum Puer hîc paſſim properat decerpere flores,*
*Et velare comas, ſpinâ libavit acutâ*
*Marmoreos digitos: mox ut dolor adtigit artus,*
*Sanguineamque manum, tinxit ſua lumina guttâ,*
*Proruit ad Matrem frendens, defertque querellas:*
*Unde Roſæ, Mater, cœperunt eſſe nocentes?*
*Unde tui flores pungunt latitantibus armis?*
*Bella gerunt mecum Floris color & cruor unum.*

Quomodo Roſa alba, purpurea & rubra facta ſit, diſce ex Aphthonii Progymnaſmatis, cap. IV. & Conſtantino Cæſare de R.R. lib. XI. cap. XVIII. *Adonide occiſo*, aiunt, *Venerem nudis pedibus ingreſſam eſſe ſilvam, ibique ſpinis compunctam emiſiſſe cruorem. Inde Roſam, quæ priùs eſſet alba, aſpergine contactam cœpiſſe rubere.* Ex Veneris vulnere itaque hunc ruborem contraxêre. Vide Miſcellanea Politiani cap. XI. Brodæi lib. VII. cap. VII. & cap. X. Alii aliter originem Roſæ narrant. Auſonius in Cupidine Cruci-adfixo;

*Quædam, ignoſcentum ſpecie, ludibria tantùm*

*Sola*

Cras ruborem, qui latebat veſte tectus igneâ,

Unico

*Sola volunt: ſtylus ut tenuis ſub acumine puncti*
*Eliciat tenerum, de quo Roſa nata, cruorem.*

Et paulò infra:

*—— Roſeo Venus aurea ſerto*
*Mœrentem pulſat Puerum, & graviora paventem.*
*Olli purpureum multato corpore rorem*
*Sutilis expreſſit crebro Roſa verbere; quæ jam*
*Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.*

Ex Roſâ Alabandicâ Plinianâ, albicantibus foliis, (quæ vulgò Provincialis) factam vult Mileſiam; cujus purpura ſatura, & ardentiſſimi coloris. De qua Plinius. Noſtrâ vernaculâ linguâ hanc bruyne roode rooſe/ alteram illam Provenſche rooſe adpellamus. Idem.

Ibid. —— *Deque Amoris oſculis.*] Video V. Cl. Johanni Meurſio, amico quondam meo conjunctiſſimo, nunc Minervæ Danicæ Adſeſſori, placuiſſe, *Deque Adonis oſculis.* Quam lectionem adnotarat ad oram libri ſui, qui nunc penes Henricum Delmenhorſtium, Medicinæ & amicitiæ noſtræ veterem, nec humillimi ſpiritus poëtam. Idem.

25. & 26. *Cras ruborem, qui latebat veſte tectus igneâ,*
*Unico marita nodo non pudebit ſolvere.*] Dicit: Roſa Veneris, ſeu Roſæ potiùs globus nondum explicitus, perfuſus nocturno rore & maritis imbribus, ſolvet mane unum nodum, dehiſcente calyce. Folia roſarum adhuc inter ſe connexa, necdum tota patentia, *nodos* vocat. Vidimus ſupra, in Epigrammatis recens erutis:

*Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum.*

Item:

*Altera pyramidas nodo majore tumentes.*

Adludit autem ad ritum Nuptialem. De quo Feſtus: *Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſolvebat, factum ex lana ovis: ut ſicut illa in glomos ſublata conjuncta inter ſe ſit, ſic vir ſuus ſecum cinctus vinctuſque eſſet. Hoc Herculaneo nodi vinculum vir ſolvit ominis gratia: ut ſic ipſe felix ſit in ſuſcipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui ſeptuaginta liberos reliquit.* Et: Cinxiæ Junonis *nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quòd initio conjugii ſolutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Apud Nonium Marcellum Varro Γεροντοδιδάσκαλῳ: *Novus maritus tacitus taxim uxoris ſolvebat*

bat

Unico marita nodo non pudebit ſolvere.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

Ipſa nymfas Diva luco juſſit ire myrteo.

It Puer comes puellis. Nec tamen credi poteſt,

Eſſe

*bat cingulum.* Ex eodem Varrone B. Auguſtinus adſtruit *Virginenſem Deam fuiſſe, cui Virgines ſolvebant zonam.* de Civitate Dei lib. IV. cap. XI. Hinc Catullus, carm. II. de paſſere:

*Tam gratum eſt mibi, quàm ferunt puellæ*
*Pernici aureolum fuiſſe malum,*
*Quod zonam ſolüit diu ligatam.*

Item Epithalamio Manlii & Juliæ:

*——— Tibi virgines*
*Zonulà ſolvunt ſinus.*

Et in dialogo cum Janua:

*Ne quærendum unde unde foret nervoſius illud*
*Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.*

Docuit verò Scaliger *zonam ſolvere* aliter Romanis, aliter Græcis accipi. Nam Latinis zonam ſolvere dicitur, quæ traditur viro: Græcis autem, quæ primùm parit. Vide ad Paſſerem Catulli, Achillem Statium, & quem dixi Scaligerum. IDEM.

26. *Unico marita nodo.*] Legitur in veteri exemplari meo, *Unica marita noto.* Nec multum aliter in Pithœi. Sine dubio ſcribendum:

*Cràs ruborem qui latebat veſte tectus igneâ*
*Unico, marita, nodo non pudebit ſolvere.*

De Roſis quæ præceſſerunt omnia ſunt intelligenda, quas Venus è virginibus maritas fieri voluiſſe dicit. Hoc eſt, ex clauſis ac tectis, ut erant in calycibus ſuis, aperiri & expandi. Hîc Roſam ipſam adloquitur. Cras, inquit, ô marita, quæ antea virgo fueras, non pudebit te ruborem, qui veſte ignea calycis tectus latebat, unico nodo ſolvere, & in apertum prodere. Quod & ſupra dixit:

*Hinc pudorem florulenta prodiderunt purpura.*

30. *Eſſe*

Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.
Ite, nymfæ; poſuit arma, feriatus eſt Amor.
Juſſus eſt inermis ire, nudus ire juſſus eſt;
Neu quid arcu, neu ſagitta, neu quid igne læderet.
Sed tamen, nymfæ, cavete; quòd Cupido pulcher eſt;
Totus

30. *Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*] Ita Editiones. Nec aliter vetuſtiſſimus Codex. Nec mutandum. Idiotiſmus illius ævi quo vixit Auctor Pervigilii. *Vehere*, pro *ferre* & *geſtare*. Qui manu aliquid geſtabat; etiam illud vehere tum dicebatur. Exempla hujus loquutionis apud Ammianum Marcellinum crebra. Nunc unum, atque alterum, ſuccurrit. lib. XVI. *Anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens, intrinſecus ſtructuram omnem ut amictus adornaverat principalis.* lib. XVIII. *Quinquagenarias longioreſque materias vexère cervicibus ingravatè.* SALMASIUS.

*Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*] Sic ex ſuo exemplari Pithœus, neque aliter Salmaſianum. Quare retinendum. Meurſius in ora libri, *texerit*. malè. Meliores codices Prudentii, contra Symmachum lib. II. v. 535.

*Non armata Venus, non tunc clypeata Minerva.*
*Vexêre auxilium.* —— Aliàs, *Venêre auxilio.* SCRIV.

32. *Juſſus eſt inermis ire, nudus ire juſſus eſt.*] Non dubium, quin hæc ſit vera lectio. Sic enim noſter Codex planè habet, niſi quod *nudos* legit. SALMASIUS.

34. *Sed tamen, Nymphæ cavete, quòd Cupido pulcher eſt.*] Sic etiam idem liber. Nec mutandum. Juſſus eſt Amor ire nudus & inermis; nolite tamen, inquit, Nymphæ, fidere, quòd Cupido cùm nudus ſit, etiam pulcher vobis videatur; totus eſt etiam armatus, cùm eſt nudus. Immo pulchritudo ipſius nudi, pro armis illi poteſt eſſe. Et hic eſt ſenſus. Cavete, Nymphæ, vobis ab inermi & nudo Cupidine. Quod enim pulcher eſt, totus eſt in armis idem etiam cùm nudus eſt; quia pulchritudinem habet pro telo. Sic igitur diſtinguendum:

*Sed tamen cavete, Nymphæ; quòd Cupido pulcher eſt,*
*Totus eſt in armis idem, quando nudus eſt Amor.*

Quod Amor pulcher eſt, etiam totus eſt armatus cùm armis exutus eſt. Nam pulchritudo illi ſatis valida armatura. IDEM.

Totus eſt in armis idem, quando nudus eſt Amor.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavi*
*cras amet.*
Conpari Venus pudore mittit ad te virgines:
Una res eſt, quam rogamus: cede, Virgo Delia,
Ut nemus ſit incruentum de ferinis ſtragibus.
Ipſa vellet te rogare, ſi pudicam flecteret.

Ipſ

35. *Totus eſt in armis, quando nudus eſt Amor.*] Hominem *i armis, ſub armis*, armatum vocabant. Ennius:

*Ter me ſub armis malim vitam cernere.*

Id eſt, *malim armatam me vitam cernere.* Virg.

——— *ſedes circum caſtella ſub armis.*

Pro, *armatus circumſidet caſtella.* Idem:

——— *ludunt belli ſimulacra ſub armis.*

Pro, *armati ludunt.* Sic *in armis* etiam pro eodem. Sic Mani lio Centaurus *ſub arcu*, & Centaurus *in arcu*, qui arcum geſtat arcu armatus. Sic *in haſtis*, pro *haſtati.* Ennius:

——— *leveſque ſequuntur in haſtis.*

& cetera. Idem.

35. *Totus eſt inermis idem, quando nudus eſt Amor.*] Ita diſei tiſſimè in membranis perſcriptum. Ut ſententiæ conſuleretur correxêre viri docti: *Totus eſt in armis idem.* Quod metrum vi concedat, niſi licentiam poëticam ſæculi barbari excuſemu: Potuiſſet ſcribere: *Totus eſt armatus idem.* Aut: *Neutiquam e inermis idem.* Simile quid debuiſſet. Aut trajectione conſtituei dus locus:

*Eſt in armis totus idem.*

Sic laboranti verſui ac ſenſui medebitur. Quod non diſplici Salmaſio, qui optimè hunc locum interpretatus eſt. Scriv rius.

41. Iſ

Ipſa vellet ut venires, ſi deceret virginem:
Jam tribus choros videres feriatis noctibus,
Congreges inter catervas, ire per ſaltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.
Nec Ceres, nec Bacchus abſunt; nec poëtarum Deus.
De tenente tota nox eſt perviglanda canticis.
Regnet in ſilvis Dione: tu recede Delia.

*Cras*

41. *Ipſa vellet ut venires, ſi deceret virginem.*] Ante hunc verſum legitur alius in noſtro exemplari, hoc modo:

*Ipſa vellit erogare ſi pudicam flecteret.*

Scribendum:

*Ipſa vellet te rogare, ſi pudicam flecteret;*
*Ipſa vellet ut venires, ſi deceret virginem.* Salmas.

42. *Jam tribus chorus* (leg. *choros*) *videres feriatis noctibus.*] Hæc vetuſtiſſimi Codicis ſcriptura, & editionis Patiſſonianæ. Lipſius edidit, *feriatos*: & meliùs, judicio Pithœi. Atqui non rogatur Diana, aut invitatur, trinoctio & pervigilio triduano jam finito. Reliquit auctor, *feriantes*. Librarius ſcripſit, *feriantis*, id eſt, *feriantes*. Sic non longè ab initio ſcriptum, *Implicat gazas virentis*. Et in Pithœanâ editione, *Ipſa ſurgentis papillas*. Id eſt, *virentes*, & *ſurgentes*. Scriverius.

46. *De tenente* &c.] Non video, cur vera non poſſit videri tam expreſſa vetuſtiſſimi Codicis ſcriptura:

*De tenente tota nox eſt perviglanda canticis.*

*Perviclanda* quidem ille habet. Quod quis non ſentit eſſe ſcriptum pro *perviglanda*? Cùm βίγλας & βιγλάτωρας, dixit recens Græcia, palam eſt eam è Latino vocabula mutuatam, quæ *viglare* tum dixit, & *viglas* pro *vigiliis*, & *viglatores* pro *vigilibus*. Inde ergo & *perviglare* pro *pervigilare*. Idem liber ſcriptum habet, *De tinente*. Ex quo fecimus, *De tenente*. id eſt, uno tenore. Quod etiam in Idiotiſmo noſtro uſurpamus, *d'un tenant*, de uno tenente. Apud Melam *terra continens* dicitur quæ continenter juncta eſt; quam & abſolutè *continentem* dixêre. Sic *continenter ſedere*, conjunctim & uno tenore. Catullus Carm. XXXVIII.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

Juſſit Hyblæis tribunal ſtare Diva floribus.
Præſes ipſa jura dicet, adſidebunt Gratiæ.
Hybla totos funde flores quotquot annus adtulit.
Hybla florum * ſupereſtem quantus Etnæ campus eſt.
Ruris hîc erunt puellæ, vel puellæ montium,

Quæ-

*An, continenter quod ſedetis inſulſi*
*Centum, aut ducenti, non putatis auſurum.*

Et *in continenti aliquid facere*, ſtatim & nullâ interpoſitâ morâ. Hinc dicimus *in continenti*, pro ſtatim. IDEM.

*De tinente tota nox eſt*, &c.] Ita V.C. Si cum Salmaſio idiotiſmum illius ævi phraſinque Gallicam non admiſeris, dic aliquem, dic, Quintiliane, colorem. Non variat exemplar Pithœi: niſi quòd in eo *t* litera ſuperflua ſit: *Detinentettota*. Plurimas in animo meo concenturio conjecturas: ſed omnes vanas. Salmaſio meliùs divinent, qui ſe id poſſe ſperent. SCRIVERIUS.

50. *Præſes ipſa jura dicet, adſidebunt Gratiæ.*] Ita de conſilio nobiliſſimi Douzæ ſcripſi: & exigente carminis lege. Nam quod in Pithœi & Salmaſii codicibus eſt, *adſederunt Gratiæ*, perquam inſolens: nec locus iſte ſpondæum admittit. Niſi & hîc ad licentiam poëticam barbari ſæculi provocemus. IDEM.

51. & 52. *Hibla totus fundet quidquid annus adtulit*
*Hibla florum ſupereſtem quantus Etnæ campus eſt.*] Locus prorſus depoſitus: nec quicquam auxilii video. Ita enim membranæ quibus utimur. Nec integriores ſchedæ Pithœi: niſi quod priore verſu ſcribant, *Hibla totos funde flores quicquid*. Poſteriore, *Hibla florum rumpereſt equant'*. Ubi τὸ *rum* manifeſtò repetitum ex fine *florum*. Cetera divinet Phœbus. Ego non poſſum. Niſi novus Alexander ad Gordium nodum acceſſero, trajectis hemiſtichiis:

*Hybla totos funde flores quantus Ennæ campus eſt,*
*Hybla florum ſubde meſſem quotquot annus adtulit.*

Aut, *funde meſſem*. Sed quid nugamur? IDEM.

52. *Hybla florum rumpereſt equant' etbne campus eſt.*] V. C. *Hybla florum ſupereſtem*. Non diſplicet correctio doctorum, *rumpe veſtem*. Fortaſſe etiam legi poſſet, & æque benè:

Hy-

Quæque ſilvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt:
Juſſit omnes adſidere pueri Mater alitis.
Juſſit & nudo puellas nil Amori credere.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*
Ex recentibus virentes ducat umbras floribus.

Cras

*Hybla florum ſparge veſtem quantus Enna campus eſt.*

Quantum patet Ennæ campus, hunc ſparge florum veſte, ut totus, nempe, floribus ſit veſtitus. Nihil certius. SALMASIUS.

54. *Quæque ſilvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt.*] Ita correxi de conjectura. Scripti atque editi omnes: *quæque montes.* Atqui *puellas montium* adfuturas, jam dixerat præcedente verſu. SCRIVERIUS.

55. —— *pueri Mater alitis.*] Ita liber noſter. Quod rectum eſt. SALMASIUS.

58. *Ex recentibus virentes ducat umbras floribus.*] Codex habet, *Et rigentibus ducat umbras floribus.* Non puto aliud elici poſſe, quàm *E recentibus virentes.* Mox lego ex eodem noſtro Codice:

*Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias.*
*Ut pater totum creavit vernis annum nubibus,*
*In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis.*

Cras, inquit, erit dies quo primus Æther copulavit nuptias; & ut pater totum annum creavit, id eſt totius anni fœcunditatem, per vernas nubes auſpicatus eſt. Ex Virgilio habet; (Georg. II. verſ. 324.)

*Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.*
*Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther*
*Conjugis in gremium lætæ deſcendit.* ——

Sic *patrem Ætherem* dixit, ut Virgilius. Nec hîc aliud ſuſpicandum eſt. *Annum* pro anni fecunditate dixit; ut Græci ἔτος, dum ajunt ἔτος plus facere quàm ἄρουραν. Ἔτος ποιεῖ οὐχ ἄρουρα. IDEM.

*Ex recentibus virentes ducat umbras floribus.*] Locum integrum, nec mutilum eſſe non auſim adfirmare. Inconcinna mihi hæc & frigida admodum cum præcedentibus & ſequentibus connexio,

Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias.
Ut pater totis crearet vernus annum nubibus,
In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis;
Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.
Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu
Intus occultis gubernat procreatis viribus,
Perque cœlum, perq; terras, perq; pontum ſubditum
Per-

xio, valdeque à lepore hujus Poëtæ aliena videtur. SCRIVERIUS.

59. & 60. *Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias,*
*Ut pater totis crearet vernus annum nubibus.*] Ex Pithœi ſchedis editum, *crearet.* Membranæ noſtræ, *creavit.* Ita ut legendum videatur;

*—— copulavit nuptias,*
*Et pater totis creavit vernus annum nubibus.*

Initio hujus Poëmatii: *Ver renatus Annus eſt.* Vel: *Vere natus eſt.* Arriſit mihi imprimis doctiſſimi Pithœi *vernus pater.* De quo vide ejus Notas. IDEM.

62. *Unde fetus* &c.] Vitium prodit vel verſus malè ambulans. Vetus ſic habet:

*Unde fletus mixtus omnis aleret magno corpore.*

Inde nullo negotio vera lectio elicitur:

*Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.*

Virgilianum eſt:

*Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes*
*Magnus alit magno commixtus corpore fetus.* SALMAS.

63. *Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu*
*Intus occultis gubernat procreatrix viribus.*] Corruptiſſima hæc ſunt. Ex veſtigiis ſcripturæ Codicis noſtræ ſic ea emendo;

*Ipſa venas atque mentem permeantis ſpiritus*
*Intus occultis gubernat procreata viribus.*

Id

Pervium ſui tenorem ſeminali tramite
Inbuit, juſſitque mundum noſſe naſcendi vias.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*
Ipſa Trojanos nepotes in Latinos tranſtulit,
Ipſa Laurentem puellam conjugem nato dedit;
Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem,
Ro-

Id eſt, Ipſa intus procreata gubernat occultis viribus ſpiritus permeantis venas atque mentem. Nihil verius. IDEM.

*Ibid.*] Secuti ſumus membranas. Ex quarum veſtigiis emendabat Salmaſius:

*Ipſa venas atque mentem permeantis ſpiritus*
*Intus occultis gubernat procreata viribus.*

Aliò nos ducit Pithœus: apud quem, *procreatrix viribus.* Diſertè V. C. *procreatis.* & verſu antecedente, *permeanti.* i. e. *permeante.* Mihi divinatio ſub manu nata:

*Ipſa venas æquè amantum permeante ſpiritu*
*Intus occultis gubernat procreatrix viribus.*

Ipſa Venus, inquit, creatrix, ut creator Æther. &c. SCRIVERIUS.

66. *Pervium ſui tenorem ſeminali tramite Imbuit* ---] Lego & diſtinguo: —— *perque pontum ſubditum.*

*Pervia, in ſui tenorem, ſeminali tramite*
*Inbuit, juſſitque mundum noſſe naſcendi vias.*

Vix puto aliud commodius adferri poſſe. IDEM.

71. *Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem,*
*Romulumque: cum Sabinis ipſa fecit nuptias.*] Exigente omnino ſententiâ ita hunc locum conſtitui. Meum immane (vereor, ne immune) facinus eſt: cùm legatur in omnibus, etiam noſtro Msc.

*Romuleas ipſa fecit cum Sabinis nuptias.*

Quod quidem non prorſus damnarim: ſed concinnior & potior mihi viſa eſt hæc lectio, ſi non vera; ſaltem veroſimilis. IDEM.

Romulumque; cum Sabinis ipſa fecit nuptias;
Unde Ramnes, & Quirites. perque prolem poſteram
Romuli, Mater creavit & nepotem Cæſarem.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*
Rura fecundat voluptas, rura Venerem ſentiunt.
Ipſe Amor puer Dionæ rure natus dicitur.

Hunc

73. *Unde Ramnes, & Quirites.*] Cùm in manuſcripto exemplari exſtet, *Unde ſamnes & quirites*: nullo negotio feceris,

*Unde ſanguis, & quirites.*

*Sanguis*, pro genere & ſtirpe. Maro I. Æneide:

*An Phœbi ſoror, an Nympharum ſanguinis una.*

Et initio II: —— *quo ſanguine cretus.* Ubi Servius: *Quibus ſit parentibus natus.* Denique VII:

—— *tu ſanguinis ultimus auctor.* IDEM.

*Quirites.*] Cives. In funeris indictivi formulâ: *Ollus quiris leto datus.* Quod ſingulare nomen etiam uſurpant alii auctores non incelebres. IDEM.

Ibid.] —— *proque prole poſterûm*
*Romuli matrem crearet & nepotem Cæſarem.*

In hac lectione conſentiunt Pithœi & Salmaſii exemplaria. Quam tamen falſam pronunciat Lipſius, & corrigit,

*Romuli patrem crearet & nepotem Cæſarem.*

Ut hæ blanditiæ in gratiam Auguſti ſint quæſitæ; ſcriptumque Carmen in ejuſdem imperio: *Pater Cæſar* ipſi Divus Julius eſt, & *nepos Cæſar*, Auguſtus. Quam ſententiam ſequitur Pithœus; ut vara vibiam. Aliò nos rapit conſenſus duûm librorum, qui *matrem* retinent. Scribo:

—— *perque prolem poſteram*
*Romuli, Mater creavit & nepotem Cæſarem.*

*Mater* eſt ipſa Venus. Pluribus aliàs. IDEM.

76. ru-

Hunc ager, cùm parturiret ipſa, ſuſcepit ſinu:
Ipſa florum delicatis educavit oſculis.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*
Ecce, jam ſuper geneſtas * explicataonii latus.
Quiſque tutus quo tenetur conjugali fœdere.
Sùbter umbras cum maritis, ecce, balantum greges.

Et

76. —— *rura Venerem ſentiunt.*] *Venerem rura ſentiunt.* IDEM.

81. *Ecce jam ſuper geneſtas explicant agni latus.*] Neque *agnos*, neque *bœdos* hîc recipio. Verbum *explicant* non convenire videtur cum minutis animalibus. Quomodo enim hæc explicare latus dicantur ſuper geniſtas? Vetus ſcriptura habet TAONII, pro TAURI. Nam ſcriptum erat, *Taori*. N & R etiam ſæpe permutantur. Geniſta frutex eſt, quem incubitu ſuo premere agnus & hœdus haud in proclivi poſſit. Legendum igitur:

*Ecce jam ſuper geniſtas explicant tauri latus.*

Vetus Codex ſequenti verſu ſcribit:

*Quiſque tutus, quo tenetur, conjugali fœdere.*

Quod retinendum eſt. SALMASIUS.

*Ecce, jam ſuper geniſtas * explicataonii latus.*] Monſtroſam ſcripturam exhibere, quàm conjecturas, hoc loco ſatius duxi; conſpirantibus Salmaſii & Pithœi codicibus. Pithœus legebat, *explicant tauri latus.* Placetque impensè hæc lectio amico meo, in ſuis ad me litteris. Alioquin ego adnotaram in adverſariis: *explicant vacca latus.* Cùm Calpurnius idem dicat, Ecloga I.

*Cernis ut, ecce, pater quas tradidit, Ornite, vacca*
*Molle ſub birſutâ latus explicuere geneſtâ!*

Vide eadem prorſus verba de vaccis. SCRIVERIUS.

82. *Quiſque tutus quo tenetur conjugali fœdere.*] Supra fusè indicavi, librarium antiquum T pro D frequenter exarare, & contra. Oſtenſumque eſt UTE pro UDÆ ſcriptum. Nunc mihi in mentem venit, an non hoc loco eadem ſcribendi ratione uſus librarius, *QuiſquE Tutus*, nobis obtrudat pro *Quiſque & udus.* Quod explicare non permittit pudor: pigetque ineptiarum. IDEM.

Et canoras non tacere Diva juſſit alites.
Jam loquaces ore rauco ſtagna cygni perſtrepunt:
Adſonat Terei puella ſubter umbram populi;
Ut putes motus amoris ore dici muſico.
Et neges queri ſororem de marito barbaro.
Illa cantat: nos tacemus. Quando ver venit meum?
Quando faciam ut Chelidon, ut tacere deſinam?
Perdidi Muſam tacendo, nec me Phœbus reſpicit.
Sic Amyclas, cùm tacerent, perdidit ſilentium.
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

86. *Adſonant Terei puellæ.*] V.C. *Adſonat Terei puella.* SALMASIUS.

*Adſonant Terei puellæ.*] Ex codicis ſui ſcriptura ita bellè Pithœus. Sed lectionem Salmaſiani exemplaris omnino recipiendam eſſe, *Adſonat Terei puella*, docent ſequentia. Ita igitur repone. SCRIVERIUS.

90. *Quando faciam ut chelidon.*] Idem Codex: *Quando fiam ut celidon.* Ut conſulatur verſui, ſcribendum: *Quando ego fiam ut chelidon.* SALMASIUS.

# AND. RIVINI
# NOTÆ
## AD
# ANONYMI,
## SED ANTIQUI TAMEN POETÆ,
## ELEGANS ET FLORIDUM
# CARMEN DE VERE,
Communiter
# PERVIGILIUM VENERIS
Inſcriptum.

ANONYMI, SED ANTIQUI TAMEN POETÆ.] Auctor hujus Carminis neuter CATULLUS eſt, (*Lipſio judice*, *Elect. lib.* 1. *cap.* 5. ubi tam mendoſum iſtud legitur) neque Veronenſis ille, nec etiam Urbicarius: illius enim ætate relinquitur, hunc verò minutum anteit. Quanquam enim præter *Aldum Manutium*, (à quo & *magnus Roterodamus* ſe vidiſſe, & *Lilius Gregorius Gyraldus* ſe audiviſſe, Catulli hoc Poëmation, quod VER inſcribatur, haberi meminerant,) ipſe quoque Phœbi ocellus *Joſ. Scaliger Caſtigationibus in Catullum*, alterum huic cognominem, Urbicarium & Mimo-

mographum, nominatum *Juvenali*, auctorem fortaſſe fuiſſe cenſuerit illius carminis DE VERE, ex quo hoc citârit *Eraſmus in Adagiis:*

*Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit ſilentium.*

attamen & *Claudius Salmaſius ad Solinum pag.* 277. *& pag.* 1131. voluit, nullo planè, vel ſaltem minùs recto judicio tribui Catullo hoc carmen ab eruditis, quum Auctor ille ſit mediæ ætatis, & Solino ſupparis, vel qui non longè ab eo vixerit. Contrà *idem Lipſius* iterùm elegantiâ carminis abductos fuiſſe ait eos, qui Catullum ejus ſcriptorem eſſe cenſuiſſent, quum in imperio Auguſti natum è verſu ejuſdem troch. 73. compertum ſit. Cui ſententiæ quoque ſubſcripſit *Taubmannus ad Culic.* Quin & *P. Pithœus JC.* ſcribit, bonos illos viros fefelliſſe exemplar, quandoquidem in illo ſanè vetuſtiſſimo, & fidei multæ, ex quo hæc primùm edita ſint, MScr. non longo intervallo præceſſiſſet Epithalamium Q. Valerii Catulli: cujus eſſe vix agnoſcas, quod Pervigilii hujus auctor in Cæſarum gratiam cecinerit. Et illa tamen ætatem arguere (addidit quoque *Pithœus*) majorem omninò, quàm quod ex hoc ipſo Poëmate verſus quoſdam ſacrificali ſuo carmini παρῳδήσας quaſi inſeruerit *Fulgentius Afer Mytholog. lib.* 1. *Petrus* etiam *Scriverius ad hoc Pervigilium animadvertit*, ſi CATULLI eſſe hoc carmen, vel SENECÆ denique, (quod *V. N. Caſpari Barthio lib.* 16. *Adverſ. cap.* 6. unde & *Weitzius* citavit, aut cuipiam librario in mentem veniſſet) exiſtimaturus eſſet, tùm ipſum de ſe verè ſtatuere debuiſſe:

Πτωχὸς μὲν φρένας ἐμμὶ, νόῳ δὲ μοὶ οὐκ ἐνὶ κόκκος,

Præſertim cùm *idem C. Barthius altero loco lib.* 44. *cap.* 7. de eodem Poëmatio hæſitantior loquatur: *Auctor Pervigilii Veneris*, inquiens, *nec Catullus, nec Urbicarius, fortè Seneca.*

Ambigo tamen & ego profectò, annon ipſe *Scriverius* magis ridiculè ineptiat, qui neſcio quem LUXURIUM auctorem hujus Pervigilii duxerit, & dixerit, quòd ejus aliquot Epigrammata, Poëmatiáque in eo ipſo MSc. Codice, (quem à *Cl. Salmaſio* commodatum accepiſſet, ubi & hoc carmen adſcriptum) comparuiſſent. Sed eamdem pla-

planè cauſam errorémque fovet cum iis, qui ob ſimilem rationem Catulli eſſe putaverant. Minúſque probat iſtud adhuc, quod exinde conſtitiſſe tradidit, eumdem Luxurium Carthagine ſcripſiſſe, floruiſſéque ſub Traſimundo Vandalorum Rege: ſub quo certè Cæſarem, Cæſarúmque Romanorum proſapiam nemo laudâſſet impunè, uti quidem fecit *Auctor Pervigilii.* Quam ſanè ob rem tolerabiliùs ille credi potuiſſet *cùm Salmaſio* fuiſſe FLORUS, qui ſub imperio Hadriani vixit, cujuſque meminit *Spartianus*, & cujus elegantiſſimum Hiſtoriæ Romanæ breviarium habemus. Tametſi & hunc Epigraphe Trochaïcarum Eclogarum (quas *ab eodem Pervigilii auctore* profectas *Lipſius*, *Barthius*, *Pithœus*, *&* *alii* ſunt arbitrati) videatur ſeduxiſſe. Non tàm *FLORI* enim inſigniebantur titulo, quàm *FLORIDORUM*, quæ, uti *Apuleji*, & aliorum florilegorum excerpta, ita nuncupabantur, prout & *Lucretius* de ſe:

*Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant:*
*Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta.*

Inter tot ergò ſummos, inque re literariâ facilè principes viros ſtylum interponere decretorium, periculoſæ plenum opus aleæ, *cum Weitzio* pronunciamus:

*Non noſtrum inter nos tantas componere lites.*

Maneat ergò ANTIQUUM ſanè, ſed ΑΔΗΛΟΝ.

CARMEN DE VERE, communiter PERVIGILIUM VENERIS dictum.]

TITULUM Poëmatii hujus quod ſpectat, iidem jam laudati Viri, *Aldus Romanus*, & *Lil. Gyraldus Itali*, *Eraſmus Belga*, & *Joſ. Scaliger Celta*, DE VERE inſcriptum oſtendêre. Quem (ut vocat) errorem inde natum *Scriverius* autumat, quòd verſus intercalaris principio ſtatim non lectitatus eſſet, ſed initium poëmatis priùs tale fuiſſet:

*VER novum, VER jam canorum, VER &c.*

Nam ſi ita ponatur, & ſupernumerarius iſte unicus omit-

mittatur, tùm carmen hoc rectè ait conſtare XCII. verſibus, uti quidem *in Codice Salmaſiano* ſcribi oportuiſſet, non verò XXII. ceu librarius depravâſſet. Verùm enimverò *P. Pithœus*, & *J. Lipſius*, *Viri incomparabiles*, ex ſubſcriptione: (EXPLICIT PERVIGILIUM VENERIS) rectiùs, illud non tàm VERI, quàm VENERI fuiſſe dictum, collegerunt. Sed quum tanta VERIS atque VENERIS reapſe ſit neceſſitudo, quanta vocum quoque eſt adfinitas, ut illius prioris nomen è poſteriori contractum ſuſpicari quis poſſit; nemo ſanè, meâ ſententiâ, à vero ſcopoque auctoris aberraturus eſſet, qui VENERIS quidem PERVIGILIUM & feſtam celebrationem; VERIS tamen Venereo planè tempore, Aprili puta, inſtitutam dixerit, atque ſic junctim utrique conſecratum præconium duxerit. Antiqua namque regundi illius menſis controverſia Veri Venerique fuit, quam *Venereus iſte Vates IV. Faſtorum* tetigit, è quo unum & alterum verſum, quod præclarè carmen præſens & ejus quaſi ſummam metaphraſticè nobis explanent, excerpere non pigebit.

*Quò non Livor abit? Sunt qui tibi menſis honorem*
*Eripuiſſe velint, invideantque*, VENUS.
*Nam quia* VER *aperit tunc omnia: denſaque cedit*
*Frigoris aſperitas fœtaque terra parit:*
*Aprilem memorant ab aperto tempore dictum:*
*Quem Venus injectâ vindicat alma manu.*
*Illa quidem totum digniſſima temperat annum:*
*Illa tenet nullo regna minora Deo.*
*Juraque dat cœlo, terræ & natalibus undis,*
*Perque ſuos initus continet omne genus.*
*Illa Deos omnes (longum eſt numerare) creavit:*
*Illa ſatis cauſas arboribuſque dedit.*
*Illa rudes animos hominum contraxit in unum:*
*Et docuit jungi cum pare quemque ſuâ.*
*Quid genus omne creat volucrum, niſi blanda voluptas?*
*Nec coëant pecudes, ſi levis abſit Amor.*
*Vis eadem, lato quodcunque ſub æquore vivit,*
*Servat: & innumeris piſcibus implet aquas.*

Sed & *idem ibidem Ovidius* nobiſcum ita illam VENEI VERISQUE litem tandem decidit;

*Nec* VENERI *tempus, quàm* VER, *erat aptius ullum:*
*Vere nitent terræ, Vere remiſſus ager.*
*Et formoſa Venus formoſo tempore digna eſt.*

uid? quod ipſum animorum motum, qui fit à naturâ r aëris temperiem, dixerint Venerem, quod non mo- ipſa exinde gignatur Venus, ſed & omnia animalia ad ocreandum impellat, inde rerum omnium procreatri- m vocarunt antiqui: cùm illa ſit præcipuè Verni tem- ris benignitas. Quemadmodum *Natalis Comes l.* 5. *my- ol. c.* 13. *ex initio Lucretii & 2. Georg. Virgil.* quæ loca ibi adducemus, confirmavit. Atque ab hac mente nec luſiſſe video *Lipſium*, quum ita ſcriberet: *Ex titulo non notum argumentum. Laudatio enim Veneris fuit, com- ſita quaſi per occaſionem pervigilii* (Verni, ſcil.) *quòd tres ſas noctes in honorem Deæ agebant.* Facit illuc verſus in oc carmine 42.

*Jam tribus choros videres feriatos noctibus.*

t illa *Plauti Curculione act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 25.

*Quid tu Veneri pervigilare te voviſti Phædrome?*
*Nam hoc quidem haud multò poſt luce lucebit.*

t licet pervigilandi honos vulgatus quoque in cæteros eos, ut anniverſarius ille Fortunæ *apud Suetonium in alba cap.* 4. Cereris *apud Tacitum*, Priapi *apud Arbitrum*, ujus magna pars deſideratur: attamen Veneris cumpri- is nobile & quaſi proprium fuit pervigilium, exquiſitiſſi- è ita nuncupatum, quod ſacris nocturnis pudoréque va- antibus præcipuè gauderet hæc Diva: illa proinde *Noctis vigila* Plauto l. cit. valdè appoſito invocatur epithe- , quæ *Noctiluca Lævio* antiquiſſimo Poëtæ; φιλοπάννυχος, ervigilium cupiens, *Orpheo*; cujus palæſtram *Caſinæ Plau- inæ Prologographus* vocavit *excubias.* Amat enim hoc nu- nen, ſi quod aliud otioſos dies, operoſas & pervigiles *ut cum Apulejo è lib.* 10. *loquar*) noctes. Græcis itaque *in Vet. Gloſſario* πάννυχις, παννυχισμὸς καὶ ἡ διὰ νυκτὸς ἀγρυπνία *per- vigilium* redditur. Quale Veneri triduanum, vel veriùs tri-

trinox, (ſi ita loqui liceret) aut ſanè per totidem e
bias pernox debebatur, varia Divæ illius elogia conc
brans. Quæ cùm initio ab uno ſaltem & altero aı
tum decantata eſſent; veluti *Naſo eodem* 4. *Faſtorum* ſu
dicavit:

*Primus amans carmen, vigilatum nocte negatâ,*
*Dicitur ad clauſas concinuiſſe fores:*

Poſtea à quamplurimis pervigilia hujuſmodi junctim c
vivio, cantu & tripudio ad furorem uſque celebrata.
non abs re AUCTOR LIBRI SAPIENTIÆ *cap. X*
*v.* 23. talia in Deorum gentilium honorem peregrino
inſtituta pervigilia *inſaniæ plenas vigilias* vocaverit; cer
ſaniam ſequi & antecedere inſomnia ſolet. Quas et
Hiſpanus Interpres *Caſſiodorus Reinius* reddidit *Vigili*
*otros ritos llenas de locura: Sebaſtianus* verò *Caſtalio*
*nas ex aliis ritibus bacchationes agitare* cùm dixiſſet,
ipſam detegere viſus eſt. Nihil enim aliud iſtiuſmodi
vigilia, quàm *luxurioſorum & ebrioſorum litaniæ* (ut *K*
*læſii interpres* jocatur) fuere, quæ ferè à vino incale
rent. Veneris ergò ut nocte pervigili & oleo lucerr
vino calix abundet ipſus Apulejus lib. 2. Mil. requirit.
Bacchus juxta eumdem eſt Veneris armiger, ſi ſit moc
tus: alioquin largius merum ſomnum profundum cc
liat, & Amores averruncat, juxta Antholog. lib. 2.

(Βάκχος) Κιρνάμενος θαλάμοις ἐστὶν ἑτοιμότατος,
Εἰ δὲ πολὺς πνεύσειεν, ἀπέστρεπται μὲν ἔρωτας·
Βαπτίσεται δ' ὕπνῳ γείτονι τοῦ θανάτου.

Hinc jam & *C. Plinii* Epigrammati dies oritur:

*Huc mihi vos largo ſpumantia pocula vino!*
*Ut calefactus Amor pervigilare velit.*
*Ardenti Baccho ſuccenditur ignis Amoris:*
*Nam ſunt unanimi Bacchus Amórque Dii.*

Et ſic Noſter infra v. 45.

*Nec Ceres, nec Bacchus abſunt, nec Poëtarum L*
*Decinunt & tota nox eſt pervigilata cantibus.*

E

## ELEGANS & FLORIDUM.]

CARMEN ipſum quod jam concernit, videri & illud alicui incondita bacchantium & ad rythmum qualemcunque ſaltantium cantilena: verùm uſque adeò ſe præclaris Viris adprobavit hoc pervigilium, ut doctiſſimis lucubrationibus nocturnum iſtud ſacrum illuſtrare non fuerint dedignati. Vernans quippe & *floridum* utique illud eſt, & haud invitâ natum Venere, nec eâdem aut Veris temperie indignum, veréque Ἔρωτος πνεῖ, Ἀφροδίτην προξενεῖ, ut eſt apud *Achillem Tatium*, in divino Roſæ Encomio, atque adeò

*Tam liquidum, tam dulce ſonat, ut non ego malim;*
*Quod Peligna legunt examina, lambere nectar.*

*Jano Weitzio* ita conteſtante, & ante ipſum *Juſto* quoque *Lipſio* juſtè venuſtatem Venerii hujus Pervigili collaudante: *Elegans meherclè*, inquit, *& quantivis pretii carmen, molle, tenerum, ſed Romanis, ut ſic dicam, non Alexandrinis deliciis.* Qui Vir ſi prudentiſſimus & ſagaciſſimus eſt, vel ipſius *Scriverii*, *Ariſtarchi ſeveri* calculo, cur ergò tantoperè hoc illius judicium reprehendere auſus eſt? Nimirum ut *Luxurium ſuum Carthaginienſem* opuſculo huic adſereret auctorem, ſtylum ejus inæqualem, qualis eſſet Afris, & quales *Cicero* Cordubenſes Poëtas dixiſſet, pingue quiddam ſonantes, ac peregrinum, accuſavit. Nec dubitavit ad *V. C. Petri Pithœi* ſuffragium provocare, ut qui fragmenta hæc ſanè antiqua, ſive Catulli, ſive alterius ſint, Medicorum pueris commendâſſet. Quaſi ſcil. deſperatum hoc carmen puerile crediſſet: cùm παῖδες ἰατρῶν, & pueri, ſeu filii medicorum, pro ſummis atque experientiſſimis medicis haud rarò accipiantur. Audiamus potiùs ipſum *P. Pithœum*, ut exinde incorruptam de ejus animo ſententiam proferre valeamus. Ita verò in Lutetianâ *Petronii* editione apud Mamertum Patiſſonium typographum Regium, ubi ſub finem adjecta ſunt veterum quorumdam Poëtarum carmina non diſſimilis argumenti, quos *Errones Venereos* adpellarunt, quorum principem locum obtinet hoc Pervigilium Veneris; ita, inquam, *Pithœus* ille præfatus eſt:

# LECTORI.

*Qui mos veteribus, cùm deſperatos ante januas collocarent, ut vel extremum ſpiritum redderent terræ, vel poſſent à tranſeuntibus fortè curari: idem mihi fuit conſilium in deponendis hujus Poëmatis ſanè antiqui, ſive Catulli, ſive alterius ſit, reliquiis; quarum ego ſalutem commendatam cupio vel Medicorum pueris, dum, quâ fide à nobis exhibentur de vetuſtiſſimo, ſed unico exemplari, eâdem, ut par eſt, ab omnibus tractentur.*

Judicet jam prudens, & nullis partibus addictus Lector, an contemtibile viſum *Pithœo* carmen, & non potiùs ſummâ curâ, & fide tractandum, priſtinæque ſanitati & integritati reſtitui dignum ſit exiſtimatum.

Incipiamus itaque illum uſque adeò à librariis malè habitum amœniſſimum, & de amœniſſimo tempore ac Diva jucundiſſima ſcriptum Trochaicum nitori ſuo primævo reddere ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, cum Homero.

### Verſ. 1.

CRAS AMET, QUI NUMQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.]

Hoc principium loco ſuo non ſaltem ſubmovere, ſed penitùs removere annixum fuiſſe *Scriverium* diximus, ut modò numerus ille XCII. verſuum reſponderet: ſed ut à *Lipſio* profertur hoc carmen, totidem utique manent verſus, ſi vel in capite quoque non minùs, atque in calce, verſus iſte intercalaris retineatur. Neque ſanè verſiculi quintus & ſeptimus uſque adeò quadrare videntur, ſi exordium hoc, veluti ver ex anno ſuſtuleris. Et quum Veneri pervigilandum Amorique operam dandam per integrum carmen inculcare vellet Auctor, ratio perſuadendi potiſſima fuit, temporis ipſius ad amorem à naturâ facti oportunitas & amabilitas. Proponendum igitur priùs, quàm inferendum

dum probandumve fuit, ἀποδεῖξαι γὰρ μὴ συνεχόντα (τὸ πρᾶγμα, περὶ ὃ) ἀδύνατον, inquit *Ariſtot.* 2. *Rhetor.* Nec ſanè juverit *Scriverium*, quod verſus iſte intercalaris præproperè nimis, & quidem ter inter alios novem ſaltem recurrat. Nam vel ipſo quoque *Scriverio* arbitro, & *Lipſium*, qui eandem ob cauſam poſt verſum VIII. aliquid deeſſe ſenſerat, refutante, non ſemper verſus intercalaris interjicitur, aut ſubjicitur verſibus pari numero, ſed diverſo pro re natâ: interdum poſt duos, tres, quatuor, & quinque, interdum poſt plures. Quod cùm alibi, tùm ex *Virgilii Eclogâ* 8. & *Catulli Epithalamiis* liquet. Quæ ipſa tamen probatiſſimorùm artificum carmina cùm utrobique non à tali ſtatim inchoentur intercalari, exinde dicto interpoſito, quod non præponatur, ſed in medio carminis intercaletur, ut in anno bis-ſextili dies non à principio menſis: inde fortean ſubſumſit & Sinone ab uno ad omnes concluſit *Scriverius*, nullibi auſpicalem eſſe poſſe, qui ſit intercalaris. Sed *ad v.* 8. (ne uno loco effundamus omnia) reſpondebitur.

## Verſ. 2.

*Ver novum, ver jam canorum, vere natus orbis eſt.*]

Ita quidem juvit *Pithœus* hunc verſiculum: eaque lectio ſola videbatur vera *Salmaſio*: nec aliter citavit *Lipſius Phyſiolog. Stoicæ lib.* 2. *cap.* 9. ubi mundum vere natum videri adſeritur: auctoribus *Virgilio* 2. *Georg. v.* 336. *D. Ambroſio*, *Damaſceno*, & *Panegyriſta ad Maximum.* Et ſequens ſanè verſus ita legendum eſſe evincit, repetitur namque eadem vox eodem caſu:

*Vere concordant Amores, Vere nubunt alites.*

Niſi quis malit magè figuratè cùm eodem *Pithœo*:

*Ver juventus orbis eſt.*

Veluti & ex *incerto Græco auctore in Anthologiâ*, qui vernum tempus pulcherrimum pulcherrimè deſcripſit, *Conrad. Rittershuſius* ait ad verſum illum: καὶ φύτα θηλήσαντα τοῖς εὐδμοῖσι πετήλοις.

*Jamque comas reparant plantæ, nova frondibus arbor*
*Luxuriat, campiſque redit ſilviſque juventus.*

& *Guntherus lib.* 6. *verſ.* 482.

*- - - ſenii cum frigore pulſo*
*Grata repubeſcit jucundi temporis ætas,*
*Dum viret omnis ager tellúſque decore reſumto*
*Floribus & viridi juveneſcere gramine gaudet.*

Non malè tamen quoque *Lipſius in Electis* cenſuit le
poſſe:

*Ver renatus orbis eſt.*

Quæ lectio *Buchnero* quoque probata *ad hymn. Venantii Fo
tun. paſchal. verſ.* 31.

*Ecce renuſcentis teſtatur gratia mundi.*

*Quâ de cauſâ*, addit, *& vetus Poëta in Pervigilio Veneri
incomparabilis venuſtatis carmine, Ver renatum orbem nim
quàm eleganter adpellavit*, utpote, quòd ea ſententia ſit g
mina huic *Plinianæ lib.* 16. *N.H. cap.* 25. Arborum flos e
pleni veris indicium, & anni renaſcentis. *Prudentius* qu
que prudentiſſimus Poëta, cùm *hymn. XI. in nat. Domin*
vernantis orbis ordium dixiſſet, addit:

*Nam tunc renatus ſordidum*
*Mundus veternum depulit.*

Quod nec *Eraſmus*, nec *Fabritius* intellexit, nec *Weitzi*
aliique animadverterunt. Unde fortean conjectura *Scri
rio* ex allegato *Plinii* loco ducta:

*Ver renatus annus eſt.*

cùm in *Salmaſiano codice* exſtaret:

*Vere natus aovis eſt.*

Sic *Calpurnius Ecloga* 5. *verſ.* 11. (ubi *Barthius* laudat e
gantiſſimum & delicatiſſimum hoc Pervigilium:)

Ti

*Tunc florent ſilvæ, viridiſque renaſcitur annus.*

Verni quippe aëris temperie cuncta quaſi reviviſcunt & renata adparent, quæ hiberno frigore penitùs enecta videbantur. Unde Ver κατ' ἐξοχὴν annus & annus novus indigitatur, ut *Columellæ lib.* 10.

*- - Tunc verſicoloribus anni*
*Fœtibus alma parens cingi ſua tempora gaudet.*

& *Boëthio de Conſolatione Philoſophiæ lib.* 1. *carm.* 5.

*Tua vis vernum temperat annum.*

& *lib.* 4. *carm.* 6.

*- - - Vere tepenti*
*Spirat florifer annus odores,*
*Æſtas Cererem fervida ſiccat,*
*Remeat pomis gravis Autumnus,*
*Hiemem defluus irrigat imber.*

ſic & *Petronius in fragmento:*

*Ante oculos ſtabat, quidquid promiſerat annus.*

i eſt, *Ver.* Quod ipſum *Novum* hîc dicitur: Nam *Ovid. Faſt.*

*Omnia tunc florent, tunc eſt nova temporis ætas:*
*Et nova de gravido palmite gemma tumet.*
*Tunc patitur cultus ager & renovatur aratro,*
*Hæc anni novitas jure vocanda fuit.*

otavit tamen & Servius *Ver novum*, adultum, extremum cætera anni tempora ſic dici pro initio, medio, & fine ris, quomodo Græci in ſingulis menſibus tres decades tuentes, primam dicant μηνὸς ἱσταμένου, ſecundam μεσοῦντος, tiam φθίνοντος, i. e. menſis ſtantis, medii & deſinentis. uod autem *Ver canorum* hîc indigitatur, propter aviculas, quæ prolectante verno tempore concentus ſuaves adtant, ut ait *Apulejus lib. XI.* allegante quoque huc *Weit-*

 *zio.*

*zio*. Sic *Virgilius* 2 *Georg*. *verſ*. 328. in Veris deſcriptione, quam noſter ſedulò imitatus eſt:

*Avia tum reſonant avibus virgulta canoris.*

Quem expreſſit & *Petronius*:

*- - - verno perſona cantu*
*Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur.*

Sic & *Ovidius* 1. *Faſtorum verſ*. 154.

*Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent.*

De quibus *Excubitor noſter* ita porrò:

## Verſ. 3.

*Vere concordant Amores, Vere nubunt alites.*]

Veluti *Lipſius* optimè pro *nubent*, ſcribendum duxit: *nubunt*, id eſt, συνουσιάζουσιν, ἢ ἀφροδισιάζουσι. Nam poſt concordem conſenſum, qui facit conjugium, ſequitur nuptialis congreſſus. Ita *Johannes* tamen *Iſacius Pontanus in Macrob. lib*. 7. *cap*. 16. propiùs ad prius illud *nubent*, legit *pubent*, idque idem vult valere ac *vernant*, ut apud *Plautum*:

*Dum aviculæ vernant.*

& *Dracontium in Hexaëm. verſ*. 144.

*Pennigerum vernare nemus vapor urget in uſus*
*Pignoris.*

Quam ſententiam ſuam ait adſtruere, quod hîc ſequitur:

——— *Et nemus comam reſolvit.*

Cui applaudit & *G. Erhardus in Symb. Petronianis ad illum verſ.*

— *ceci-*

*— — cecidere capilli,*
*Vernantéſque comas triſtis abegit hiems.*

Idque totum expreſſum eſſe *ab Ovidio:*

*Pratáque pubeſcunt variorum flore colorum,*
*Indocilíque loquax gutture vernat avis.*

Quomodo autem *verno tempore concordent amores*, *Oppianus* 1. *Cyneget. verſ.* 377. & 1. *Halieut. verſ.* 473. exponit. Unde *Bion Idyll.* 6. quoque Ver fœcundum ſingulis anni τεταρτημορίοις longè prætulit:

Εἴαρ ἐμοὶ τριπόθατον ὅλῳ λυκάβαντι παρείη,
Εἴαρ πάντα κύει, πάντ' εἴαρ ἁδέα βλάστει.

verſ. 4.

*Et nemus comam reſolvit de maritis imbribus.*]

Quanquam venuſtâ quidem tralatione folia in arboribus, & viridis ille ornatus univerſus dicatur *coma*, ut apud *Senecam Herc. Oet. verſ.* 1577.

*Dum comam ſilvis hiemes recidunt,*
*Vel comam ſilvis revocabit æſtas.*

& *Venantius Fortun. in hymno de Reſurrect. verſ.* 21.

*Tempore ſubque hiemis foliorum crine revulſo,*
*Jam reparat viridans frondea tecta nemus.*
*Plaudit quæque ſuis arbor opaca comis.*

Unde & apud *Iſidorum Gloſſis: comat, frondet:* ad ritum tamen nuptialem (quem in hoc & præcedente verſu innui video) propiùs videtur accedere, quod *nemus* quoque *comam reſolvat imbri* pariter, ut ſponſa paſſis crinibus marito in manus cedebat. Quo ipſo motus dubitavi, annon meliùs, & nuptiis accommodatiùs legatur:

*Et nemus zonam reſolvit de maritis imbribus.*

Certè ob vicinam adliterationem & paronomaſian eò videtur digitum intendiſſe.

## Verſ. 5.

*Cras amorum copulatrix, inter umbras arborum,*
*Implicat caſas virentes de flagello myrteo.*]

Videri poterat hoc diſtichon è *Lucretii principio* ductum:

*Tu, Cypri, per maria ac montes fluvióſque rapaces*
*Frondiferaſque domos avium campoſque virentes*
*Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,*
*Efficis, ut cupidè generatim ſecla propagent,*
*Sic quoniam rerum naturam ſola gubernas.*

Hinc ſanè fortè *amorem* ſervandum hîc dixeris, ſed *Pithœus* iterum pro *amorem* maluit *amorum*, ut & pro *gazas* legit (adprobantibus *Lipſio* & *Salmaſio*) *caſas*, nemorales, ſcilicet inter arbores, & myrtos præſertim, quæ ſacræ ſunt Veneri. Unde *Virgilius Ecl.* 7.

*Populus Alcidæ gratiſſima, Vitis Iäccho,*
*Formoſæ myrtus Veneri.*

Cui & Kal. Aprilis cum floribus & myrto ſacrum fiebat, ſicuti *Ovidius Faſtorum IV.* ita Latias fœminas adfatur:

*Nunc alii flores, nunc nova danda roſa eſt.*
*Vos quoque ſub viridi myrto jubet illa lavari,*
*Cauſáque, cur jubeat, diſcite, certa ſubeſt:*
*Littore ſiccabat rorantes rore capillos,*
*Viderunt Satyri, turba proterva, Deam,*
*Senſit, & oppoſitâ texit ſua corpora myrto,*
*Tuta fuit facto, vóſque referre jubet.*

*Pauſanias* verò *in poſterioribus Eliacis* rationem iſthanc adfert, cur huic Deæ roſa & myrtus conſecrata, quoniam utraque planta eximiam præ ſe fert pulchritudinem: roſa inter flores, myrtus inter arbores. Et ſic paulò inferiùs in hoc carmine v. 44. (ubi plures cauſas, cur myrtus Veneri dicata) invenies.

Flo-

*Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.*

Ipſa quoque Venus Myrtea, & poſtea Murcia dicta fuit, *Plinio* teſtante in Pandectis ſuis *lib. XIV.* & *Plutarcho in Quæſtion. Rom.* 20. *Auſonius in Ecloga, quâ Cupido crucifigitur*, propter occultantem & refrigerantem umbram gratas Veneri venereiſque ſtatuit myrtos:

*Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes.*

Ad *caſas* adfert *Pithœus* hunc *Tibulli* verſum:

*Ludit, & ex virgis exſtruit arte caſas.*

*Flagella* verò *Iſidorus Orig. lib.* 17. *cap.* 5. ſummitates fruticum, & vitium interpretatur. Flagellis myrteis rectiſſimè quoque dicitur Venus implicare caſas ſuas rureſtres, circa tribunal proprium, quod ante aliud, Paridis ſc. tribunal, fauſtam fortunatámque ſibi deprehendiſſet Venus myrtum, quum illâ ornata Dea ad judicium de forma cum Deabus eſſet profecta, victoriámque reportâſſet. Quod *Nicander in Alexipharmacis* adtigit:

Πρὸς δέ τι σοι Δίκτυννα θεὰς ἐχθήρατο κλῶνας &c.

*Præterea Dictynna tua eſt ex arbore ramos*
*Aſpernata, tuam nec cepit Juno coronam,*
*Quod Venus Idæis eſt illâ in montibus olim*
*Comta comas, ubi de forma contentio nata eſt.*

## Verſ. 7.

*Cras Dione jura dicit fulta ſublimi throno.*]

Rectiùs ſcribi opinatus eſt *Lipſius & Caſaubonus ad Suetonium lib.* 2. *pag.* 145.

——— *fulta ſublimi thoro.*

Sed ego lectionem receptam ſervaverim, quòd Dea in judicio præſes, cum aſſeſtricibus ſuis, Reginæ potiùs perſo-

trinox, (ſi ita loqui liceret) aut ſanè per totidem excubias pernox debebatur, varia Divæ illius elogia concelebrans. Quæ cùm initio ab uno ſaltem & altero amantum decantata eſſent, veluti *Naſo eodem* 4. *Faſtorum* ſubindicavit:

> *Primus amans carmen, vigilatum nocte negatâ,*
> *Dicitur ad clauſas concinuiſſe fores:*

Poſtea à quamplurimis pervigilia hujuſmodi junctim convivio, cantu & tripudio ad furorem uſque celebrata. Ut non abs re AUCTOR LIBRI SAPIENTIÆ *cap. XIV. v.* 23. talia in Deorum gentilium honorem peregrino ritu inſtituta pervigilia *inſaniæ plenas vigilias* vocaverit; ceu inſaniam ſequi & antecedere inſomnia ſolet. Quas etiam Hiſpanus Interpres *Caſſiodorus Reinius* reddidit *Vigilias de otros ritos llenas de locura: Sebaſtianus* verò *Caſtalio inſanas ex aliis ritibus bacchationes agitare* cùm dixiſſet, rem ipſam detegere viſus eſt. Nihil enim aliud iſtiuſmodi pervigilia, quàm *luxurioſorum & ebrioſorum litaniæ* (ut *Rabelæſii interpres* jocatur) fuere, quæ ferè à vino incaleſcerent. Veneris ergò ut nocte pervigili & oleo lucerna & vino calix abundet ipſus Apulejus lib. 2. Mil. requirit. Ceu Bacchus juxta eumdem eſt Veneris armiger, ſi ſit moderatus: alioquin largius merum ſomnum profundum conciliat, & Amores averruncat, juxta Antholog. lib. 2.

> (Βάκχος) Κιρνάμενος θαλάμοις ἐστὶν ἑτοιμότατος,
> Εἰ δὲ πολὺς πινόσειεν, ἀπέστρεψεν μὲν ἔρωτας·
> Βαπτίσεται δ' ὕπνῳ γείτονι τοῦ θανάτου.

Hinc jam & *C. Plinii* Epigrammati dies oritur;

> *Huc mihi vos largo ſpumantia pocula vino!*
> *Ut calefactus Amor pervigilare velit.*
> *Ardenti Baccho ſuccenditur ignis Amoris:*
> *Nam ſunt unanimi Bacchus Amórque Dii.*

Et ſic Noſter infra v. 45.

> *Nec Ceres, nec Bacchus abſunt, nec Poëtarum Deus:*
> *Decinunt & tota nox eſt pervigilata cantibus.*

ELE-

## ELEGANS & FLORIDUM.]

Carmen ipſum quod jam concernit, videri & illud alicui incondita bacchantium & ad rythmum qualemcunque ſaltantium cantilena: verùm uſque adeò ſe præclaris Viris adprobavit hoc pervigilium, ut doctiſſimis lucubrationibus nocturnum iſtud ſacrum illuſtrare non fuerint dedignati. Vernans quippe & *floridum* utique illud eſt, & haud invitâ natum Venere, nec eâdem aut Veris temperie indignum, veréque Ἔρωτος φυτὸν, Ἀφροδίτην προξενεῖ, ut eſt apud *Achillem Tatium*, in divino Roſæ Encomio, atque adeò

*Tam liquidum, tam dulce ſonat, ut non ego malim,*
*Quod Peligna legunt examina, lambere nectar.*

*Jano Weitzio* ita conteſtante, & ante ipſum *Juſto* quoque *Lipſio* juſtè venuſtatem Venerii hujus Pervigili collaudante: *Elegans meherclè*, inquit, *& quantivis pretii carmen, molle, tenerum, ſed Romanis, ut ſic dicam, non Alexandrinis deliciis.* Qui Vir ſi prudentiſſimus & ſagaciſſimus eſt, vel ipſius *Scriverii*, *Ariſtarchi ſeveri* calculo, cur ergò tantoperè hoc illius judicium reprehendere auſus eſt? Nimirum ut *Luxurium ſuum Carthaginienſem* opuſculo huic adſereret auctorem, ſtylum ejus inæqualem, qualis eſſet Afris, & quales *Cicero* Cordubenſes Poëtas dixiſſet, pingue quiddam ſonantes, ac peregrinum, accuſavit. Nec dubitavit ad *V. C. Petri Pithœi* ſuffragium provocare, ut qui fragmenta hæc ſanè antiqua, ſive Catulli, ſive alterius ſint, Medicorum pueris commendâſſet. Quaſi ſcil. deſperatum hoc carmen puerile crediſiſſet: cùm παῖδες ἰατρῶν, & pueri, ſeu filii medicorum, pro ſummis atque experientiſſimis medicis haud rarò accipiantur. Audiamus potiùs ipſum *P. Pithœum*, ut exinde incorruptam de ejus animo ſententiam proferre valeamus. Ita verò in Lutetianâ *Petronii* editione apud Mamertum Patiſſonium typographum Regium, ubi ſub finem adjecta ſunt veterum quorumdam Poëtarum carmina non diſſimilis argumenti, quos *Errones Venereos* adpellarunt, quorum principem locum obtinet hoc Pervigilium Veneris; ita, inquam, *Pithœus* ille præfatus eſt:

*Collis ô Heliconii*
*Cultor, Uraniæ genus,*
*Qui rapis teneram ad virum*
*Virginem, ô Hymenæe hymen,*
*Hymen ô hymenæe!*

Atque ita nec Noſter malè *Theocriti* & *Catulli* exempla auſpicatus eſt ab ejuſmodi adloquio, quo juvenes pariter & viros, virgines & fœminas, cœlibes & viduos ad amorem convocaturus & concitaturus, eoſdem crebriùs inclamare & interpellare voluit. Ut proinde verſus iſte non modò ſit *intercalaris*, ſed verus *Veneris Calator*, quemadmodum *in Gloſſ.* ἐκβιβαστὴς ἱερέων adparitor ſeu viator ille ſacerdotum & ad ſacra citans alios, ut & *in Gloſſ. Iſidori* Miniſter. ſacrorum ita redditur. Sic autem videtur Calator hic inclamare & excitare Deos & homines:

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit,*
*cras amet.*

Quemadmodum tale eſt præconium apud *Arnobium lib.* 7. *adv. gent. fol.* 140.

*JOVIS EPULUM CRAS EST.*

Verſ. 9

*Tunc liquore de ſuperno, ſpumeo ponti è globo,*
*Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos,*
*Fecit undantem Dionen de maritis imbribus.*]

Amicus ille Lipſii *Pithœus* hæc quidem ſic poſteà emendavit, cùm ab initio legere cœpiſſet:

*Juno rore de ſupernis.*

Sibi verò apud Douzam fabulanti hanc correctionem feliciter ſub manu natam eſſe idem ait *Lipſius*:

*Tunc cruore de ſuperno ac ſpumeo ponti è globo.*

Addit-

Additque nil clarius eſſe poſſe: tangi enim fabulam, quâ Venus è ſpumâ maris nata fingatur, & è ſanguine prolium (ut honeſtè dicat) cœli. *Tibullus lib.* 1. *Eleg.* 11, 40.

*— — Is ſanguine natam,*
*Is Venerem rabido ſentiet eſſe mari.*

Et *Arnobius lib.* 4. Numquid à nobis dicitur ex pelagi ſpumâ & ex Cœli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coaluiſſe candorem? *Fulgentius* ita μυθολογεῖ *lib.* 2. Exſectis falce Saturni virilibus atque in mare projectis, quod Venus nata fertur, Poëtica vanitas proponere voluit, quòd vires Chroni ſeu Temporis, id eſt, fruges falce abſciſſæ, & in humores viſcerum, velut in mare projectæ, libidinem ſaturitate gignant, neceſſe ſit. *Varro de L. L. lib.* 4. *pag.* 16. Poëtæ de cœlo ſemen igneum cecidiſſe dicunt in mare, ac notam è ſpumis Venerem, conjunctione ignis & humoris. Quo nomine aliquis fortè legerit:

*Tunc calòre de ſuperno ac ſpumeo ponti globo.*

*Julius* quoque *Solinus in fragmento Pontico* de Venere:

*— — quæ ſemine cœli,*
*Parturiente ſalo, diviſi germinis æſtu,*
*Spumea purpurei dum ſanguinat unda profundi;*
*Naſceris è pelago; placido Dea proſata partu.*

Quod *Apulejus* ita extulerat *lib.* 4. Deam, quam cærulum profundum pelagi peperit & ros ſpumantium fluctuum educavit, novo cœleſtium ſtellarum germine non maria, ſed terras pullulâſſe. Sanè Venus Ἀφροδίτη dicta, ſeu quòd è maris ſpumâ ſit nata *juxta Heſiodum & Macrobium lib.* 1. *Saturn. cap.* 8. Ad quem locum laudat *Iſacius Pontanus* iſtud, ſupra hanc ipſam Deam decenti orationis velo in ejuſdem *pervigilio* ſcriptum:

*Tunc cruore de ſuperno ac ſpumeo ponti globo &c.*

Retinens Lipſianam lectionem. Sic apud *Anacreontem:*

Χαροπῆς ὅτ' ἐκ θαλάσσης
Διδροσαμβίλω Κυθήρλω
Ἐλόχευσε πόντος ἀφρῷ.

Seu, *ut Ariſtoteli lib.* 2. *de Generat. animal. cap.* 2. placuit, quòd ſeminis natura & concitatio ſit ἀφρώδης & ſpumoſa, & non aliud, quàm ſpuma ſanguinis & ſupernatans. Vel quòd ſicut ſpuma, libido momentaliter ſurgat, & in nihilum veniat, *Fulgent. lib.* 2. *mythol.* Ego tamen fortaſſe & ſic verſum iſtum repoſuerim:

*Tunc Jovis viro ſuperno, ac ſpumeo ponti è globo.*
*Fecit undantem Dione de maritis imbribus.*

Quanquam enim in verſu hoc ſequenti *Lipſius* ſcribere *Dionen* voluit, cúmque deeſſe videret Veneris auctorem, vel, qui feciſſet illam undantem ventóque fluctuantem, ſex ergò vel ſeptem verſiculos hîc amiſſos deſideravit. Verùm ego vulgatam lectionem vel ideò quoque retinuerim, cùm ita nihil deficiat, utpote, cùm *DIONE* non ſemper Venus, ſed Veneris aliquando mater prædicetur, ut *apud Ciceronem in* 3. *de Natur. Deor.* Tertia (Venus) Jove nata, & Dione, quæ nupſit Vulcano, quámque νεωτέραν καὶ πάνδημον, juniorem & popularem *Plato in Convivio* vocavit. Quamobrem & *Theocritus in Syracuſis*, Κύπριν Διωναίαν & *Apollodorus lib.* 1. *Biblioth.* ac *Phornutus pag.* 72. Ἀφροδίτην Διώνης θυγατέρα vocant. *Arnobio lib.* 1. Dionæa Venus proles dicitur. Unde nobis orta eſt iſta correctio. Et quamvis hîc prætulerim

*de marinis imbribus*,

proptereà, quòd ter ita *maritos imbres* repetierit, non ſine tautologiæ crimine: tamen, quia *Lipſio* ſanè quàm eleganter *mariti imbres* cruor & ſpuma dici videntur, permittamus. *Virus* autem ſemen aliquando dicitur, atque idem quoque *ſanguis*, optimè ſcil. elaboratus. *Plinius lib.* 28. *cap.* 11. Virus verrinum è ſcrophâ in coitu exceptum, priuſquàm terram adtingat, gravitati aurium prodeſt. *Tertullianus de anima cap.* 27. Genitale virus expellere voluptatis ultimæ æſtum dicit. Quin & apud *Lucretium lib.* 2. pro virtute naturali *juxta Nonium* accipitur:

-- *ſer-*

— — *ſervare & condere virô.*

Cumprimis autem marinæ aquæ convenit, quæ vetuſtate virus deponere dicitur *Plinio lib.* 31. *cap.* 8. Ipſe *Petrus* quoque *Scriverius*, cùm diſertè *in Pithœano* legi vidiſſet, *Dione*, ita hoc diſtichon tentavit:

*Tùm cruore de ſuperno ſpumeum ponti globum*
*Fecit undantem Dione de maritis imbribus.*

Et ſi cuiquam diſpliceat *fecit*, legat is eodem non admodùm reclamante: *Excit.* Quanquam *Salmaſius* fecit, pro creavit, idiotiſmo illius ævi dictum arbitretur, ut *apud Scholiaſten Juvenalis:* Si tres liberos fecerit, pro, procreaverit. Unde & idem *Salmaſius* clarè in ſuo exemplari ita legi adteſtatus eſt, ſicuti & *ad Solinum pag.* 277. citavit:

*Tunc cruore de ſuperbo ſpumeo pontus globo*
*Fecit undantem Dionen de maritis imbribus.*

*Superbo* autem pro *ſuperno* dictum putat, & *ſpumeum globum* pro *ſpumâ in globum conformatâ*, uti ſæpè viſitur. Quod autem Venus nata è Jove & Dione creditum, ideò factum, quoniam cupiditas procreandi è calore concipitur, & ex illâ inferiore corruptibilique elementorum materiâ. *Nat. Comes.*

Verſ. 10. qui inter duos iſtos jam enarratos medius,

*Cærulas inter catervas inter & bipedes equos.*]

Cærulus grex Nereidum, *ut Seneca Hippolyto verſ.* 335. loquitur, hìc intelligitur, & Neptunii equi, quales & Proteo *apud Virgilium* 4. *Georg. verſ.* 388.

— — — — *æquor*
*Qui juncto bipedum curru metitur equorum.*

Qualeſque hippocampi, qui priores pedes habent, poſterioribus carent, & pontum remigant, *Statio* quoque 1. *Achilleid.* deſcribuntur:

*Penè natant, delentque pedum veſtigia caudâ.*

Ut

Ut adnotavit doctiſſimus *Weitzius*. Haud abſimiliter apud *Apul. lib.* 4. *Metam.* Veneri, fluctuum ſpumeum rorem calcanti, adſunt Nerei filiæ, chorum canentes & Portunus cærulis barbis hiſpidus, & currus bijuges ſubnatant alii: *Marius Victor. lib.* 3.

*Icarium Notus ut confidens ſtamine tranat;*
*Cærula verrentes ſic freta Nereides.*

## Verſ. 12.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.* ]

Nihil hinc deperditum fuiſſe, tametſi de ſubito intercalaris iſte recurrat, jam tum ad v: 1. & 11. præcedentem ſatis evictum. Nam quemadmodum in primâ ſtrophâ (ita namque propriè in fabulis verſus eos, quos Chorus ad populum ſpectatoreſque converſus pronunciabat, atque in altera parte theatri decantabat, adpellatos fuiſſe *Commentator Ariſtophanis in Nebulis* nos docuit) totius Mundi & omnium, quæ in iſto Univerſo contineantur, ortus univerſaliter quoque nos ad amorem & Venereæ copulæ complicationem invitâſſet: in ſequenti verò ipſam quoque pulcherrimam Anadyomenen haud aliter, quàm è Jovis Dioneſque congreſſu natam oſtendiſſet, & ſatis jam de re, tegi potiùs, quàm propalari expetente, in virginum, verba nupta abhorrentium, præſentiâ dixiſſet, ſtatim abrupit, ne in limine offenderet, exemplo potiùs ipſiúſque Veneris factis, quàm ſordidâ navitate ejus puellas permoturus.

Verſ. 13. lego *cum Pithœo:*

*Ipſa gemmans purpurantem pingit annum floribus:* ]

Sed cùm *vetus Poëta* in laudibus hortuli dixiſſet:

*Flores niteſcunt diſcolore germine,*
*Pinguntque terram gemmeis honoribus.*

Id eſt, gemmarum inſtar lucentibus, inde *Lipſius* legi poſſe *gem-*

*gemmeis* in trochaico iſto putavit, ſed ſyllaba ſic abundaret, niſi fortè *gemmeîs* legerit, ut diſſyllabum, ceu *Scriverius* voluit, qui *apud Prudentium* ſanguineîs *hym.* 1. in ſimili trochaico obſervavit. Unde fortean quoque factum, quòd *in Salmaſiano Codice* legeretur; *ipſa gemmis purpurantem:* quamvis & ipſe ibidem præmiſerit:

*Ipſa gemmas purpurantem.*

Atque hinc nobis, ut *Buchnero* quoque *ad Venantium*, magis adridet prius illud *gemmans.* Nam & *Lucretius* habet *lib.* 2.

*— — herbas gemmantes rore recenti.*

Item *lib.* 5.

*— — gemmantes rore per herbas.*

Et *Prudentius Hamartig. verſ.* 239. gemmantia germina: nec non *Dracontio Hexaëm.* locus deſcribitur *verſ.* 64.

*Floribus ambroſiis gemmato vertice pictus.*

*Vomannus* quoque *Scholaſticus Poëta in Catalect. Virgil.* cùm quatuor anni tempeſtates variaret:

*Ver pingit vario gemmantia prata colore.*

Et ipſemet *Archipoëta in Culice verſ.* 69.

*Florida cùm tellus gemmantes picta per herbas*
*Vere notat dulci diſtincta coloribus arva.*

Ubi inſpici poterit *Taubmannus* verſum hunc *Pervigilii* 13. laudans & ex allegatis *Lucretii* verſiculis herbas rore gemmantes explicans illas, quas (*ut Pervigilium loquitur*)

*Humor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus,*

quibuſdam veluti oculis aut gemmis illuſtrat. Venus igitur *gemmans* ita hîc ſumitur pro eo, quod eſt *renidens*, vel gemmarum in modum reſplendens, ut *apud eumdem Dracontium verſ.* 229.

*Orbe micant gemino gemmantia lumina viſu.*

Et ſic *Columella lib.* 10.

*Jam Phrygiæ Loti gemmantia lumina promunt*,

niſi quis activè accipere velit, *gemmans*, id eſt, gemmas protrudens & oculos, prout *Nicol. Perottus* explica illud *Columellæ:* cùm primùm gemmare vites incipiunt id eſt, gemmas emittere: ſic *in Solini Polyhiſtoris Pontici ad Venerem:*

— — — *Tibi primùm candidus æther*
*Aſtrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.*

A quo & *Dracontii* adlatum paſſivum eſt: gemmato vertice; & *Martialis* gemmati calices & aurum, *lib.* 14. *epigr.* 109. ut & *Papinii:*

*Hic ubi ſidereo moles gemmata coloſſo.*

Sicuti *purpurare* hîc quidem ceu neutrum ſumitur, *annu purpurans*, id eſt, Ver purpureum; *Apulejo* verò *lib.* 6 veluti activum uſurpatur, cùm Horæ omnia floribus purpurare dicuntur. Et *apud eumdem Aſinarium aureum lib.* X inſigniter præſens verſiculus illuſtratur, cùm ait: quò Ver in ipſo ortu jam gemmulis floridis cuncta depingeret & jam purpureo nitore prata veſtiret. Quaſi Ver pictor quidam mundi eſſet, qui colorum varietate multijug ſuam variaret diſtingueretque tabellam; prout eſt φοινικάνθεμον ἔαρ *Pindaro Pith.* 4.

*Pingit & in varios terreſtria ſidera flores.*

*Columell. lib. X.* Quumque flores iſti gemmei Veris feli autumni puerperium polliceantur, veluti *Fortunatus* de v te floreſcente argutatur:

*Cortice de matris tenerâ lanugine ſurgens,*
*Præparat ad partum turgida gemma ſuum.*

Qu

Quocirca poſt verſum illum 13. compoſitè admodum ſequitur

Verſ. 14.

*Ipſa turgentes papillas de Favonî ſpiritu*
*Urget in toros tepentes, ipſa roris lucidi,*
*Noctis aura quem reliquit, ſpargit humenteis aquas.*]

Uti quidem *Pithœus* cum *Lipſio*, cum quibus & *Weitzii* ſcholia faciunt, ſed quæ omnia ad verbum *è Turnebo lib.* 25. *cap.* 30. hauſta, cùm ita ſcripſit: *Turgere*, aut *tumere*, inquit, propriè virginum eſt, quarum plenâ pubertate habitus viro maturus eſt, toto velut corpore tumeſcente, præſertim pectore & mammis. Unde & tumida Virginitas à *Papinio* dicitur 2. *Theb.* & *Cypriano in Sodoma* de Lothi filiabus:

*Virginitas in flore tumet.*

Pulchrè *Martialis lib.* 8. *Epigr.* 64.

*Et talis tumor excitat papillas,*
*Quales cruda viro puella ſervat.*

*Scriverius* tamen *cum Salmaſio*, manuſcripto hujus fulti, de plano legi deprehenderunt:

*Ipſa ſurgentes papillas de Favonî ſpiritu*
*Urget in notos penates.*

Quod rectum quoque putabat *filius Douza in fine Notar. in Triumviros Cat. Tib. Prop.* At verò ejus interpretatio *judicio Scriverii* frivola, cùm *ſurgentes papillas* interpretaretur tumeſcentes ac ſororiantes, & veluti ſtrophio obnitentes, atque (*voce Catulliana*) luctantes, quaſque horridulas *Plautus in Pſeudolo* vocaſſet, id eſt, prominentes & exſtantes, ut *Taubmannus ad Moretum* ſcripſit & *Douzæ* ſubſcripſit. Quæ ipſæ tamen papillarum oppreſſiunculæ *Scriverio* viſæ verè horridulæ. Nec enim vult auctor, inquit, ſurgentes papillas de Favonii ſpiritu Venerem compreſſiſſe, & ſororiantes coërcuiſſe ſtrophiis aut zonis. Longè aliud eſt,

quod hîc latet : meliùs me divinet, qui ſe id poſſe ſperet. Dicit igitur, Roſas ſurgentes de Favonii ſpiritu, Venerem urſiſſe maritis ſuis imbribus, in hunc aut illum uſum. Papillæ ſunt roſarum alabaſtri; & prima germina, atque calices nondum dehiſcentes, ſed convolutis foliorum catenulis conniventes. *Hæc Scriverius.* Et *paulò inferiùs ad verſ.* 25. Virgines papillas iterum vult eſſe roſarum, ubi *Lipſium* & alios interpretes miſerè natare, & in tenebris palpare cenſuit. Sed nec nobis ſudum illud Scriverianum ſatis liquidò àdparet, quod aliis veluti è crepuſculo conjectandum adhuc reliquit. Somniat ille, *Pervigilii* hujus XIV. verſibus à 12. ad 27. nonniſi de roſis ſermonem eſſe, quod profectò ſecus ſe habet. Nimirum cùm in Veneris elogio divinum ejus ortum prædicaſſet, ſimiliter, ut *Auctor Pontici fragmenti*, ſtatim ſubjunxit, quomodo ejuſdem Divæ numine cuncta fœcundarentur, ut idem iterum *Solinus* ad eamdem Venerem:

*— — Tu fœtibus auges*
*Cuncta ſuis: totus pariter tibi parturit Orbis.*

Haud abſimiliter ſanè, quàm *Lucretius lib.* 5.

*Ordine cùm videas tam certo cuncta creari:*
*It Ver, & Venus & Veneris prænuncius antè*
*Pennatus graditur, Zephyrus veſtigia propter:*
*Flora quibus mater præſpargens ante viäi*
*Cuncta coloribus egregiis & odoribus opplet.*
*Inde loci ſequitur calor aridus, & comes unà*
*Pulverulenta Ceres &c.*

Itaque generatim præmiſit, quod & *amico cuidam Scriverii* placuit, cui propterea legi poſſe in mentem venerat:

*Urget in nodos tenaces.*]

Venerem ſurgentes, ſeu, ut *Martialis* vocavit, creſcentes ſuas papillas nodis & ſtrophiis coërcuiſſe, vel etiam ipſam Venerem leni Zephyri flatu tumefactas papillas in toros tepentes unxiſſe, prout (*Apuleji verbis*) unguento fragrantiſſimo proluvium libidinis ſuſcitatur. Quod nec *Weitzio* improbatum, qui inde legit:

*Un-*

*Unguet in toros tepentes,*

quòd *Lipſius* aliique ediðiſſent: *Urguet.* Inde porrò illa ſa Diva, ut ſimiliter & terram iuungat, & veluti prægnanm faciat, roris lucidi, noctis aurâ relictas, guttulas fœndiſſimas undique ſpargit. Sed tamen prævalet meritò ud nos illud *Urget*, nec ullum turbet ſcriptum fuiſſe *rguet* veteri more, ut videmus in *Varronis* diſticho:

*Qui pote plus urguet, piſces ut ſæpè minutos*
*Magnu' comeſt, ut aves enecat accipiter.*

*Verſ.* 16. Non immeritò *Salmaſius*, ut & *Janus Woweius*, atque *Weitzius à Lipſio & Scriverio* ſeceſſum faciunt, uum hîc corrigerent:

*Noctis aura quùm reliquit,*]

xemplo *Virgilii:*

*Cùm venti poſuêre, omniſque repente reſedit*
*Flatus.* —

pſa enim Dione ſpargit humorem roris, quem relinquit ura lucidæ noctis, quæ ipſa ſæpè noctis aura omnem humorem rorémque exſugit, & exſorbet, præcipuè ſi ſit vehementior. Ubi minima eſt aura nocturna, tùm ſolet eſſe anè maxima roris copia, ceu teſtatur *Salmaſius.*

Summatim ut de his tribus verſiculis dicamus, expreſſos los eſſe, ut plures alios, *de* 2. *Georg. Virgil.* è graphicâ eris adumbratione, *à verſ.* 324. penitùs perſuaſi ſumus:

*Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt:*
*Tùm pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
*Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & inde*
*Parturit almus ager; Zephyrique tepentibus auris*
*Laxant arva ſinus: ſuperat tener omnibus humor:*
— *nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros.*

c fundamento corruit *Scriverii* ſtructura, noſtra autem c nititur correctio:

*Ipſa ſurgentis papillas de Favonî ſpiritu*
*Turget in toros tepentes: ipſa roris lucidi,*
*Noctis aura quem reliquit, ſpargit humentes aquas.*

id eſt, Domina Venus, procreationis præſes, ſimul ac reſerata viget genitabilis aura Favonî, (*ut canit Lucretius*) quoad proprias turgida fit papillas, atque propterea & ipſa quoque omnia fœcundatura, toros tepentes & concubitum deſiderat, & hinc terræ quoque fructificationem ſollicitatura promovet.

Verſ. 17. Iterùm *Lipſius* pro parte emendavit:

*Et micant lacrymæ trementes.*

Intelligit autem guttulas illas è rore ſubſilientes, & laſcivientes. Reliquum ſe non poſſe, ultrò confeſſus eſt: *Lernutium* verò ſic ait ſuppleviſſe:

*decadivo pondere.*

unicâ voce, ſicut & *J. St. Verbeſius*, *prædeceſſor noſter*, illud *in Miſcellaneis ſuis* haud dubiè hinc mutuatus expreſſit:

*Jam rore decadivo*
*Suæ maritus imber*
*Fœcundat arva terræ.*

*Weitzius* ponit pro deciduo *decidivo* è *Nonio*, uti recidivus dicitur. Sed *Scriba* iſte *Batavus* ita ſcripſit, verſui, quod putabat, conſulturus:

*Lacrimæ micant trementes de cadivo pondere.*

quòd *noſtro Auctori* perquàm eſſent familiares illæ elegantiæ: *de Favonii ſpiritu*, *de caduco pondere*, *de cruore & oſculis*. Atque ſic etiam *Salmaſius* diſertè in veteri codice:

*Emicant lacrymæ trementes de caduco pondere.*

ut ſit ſenſus: Lacrymæ roris, pondere ipſo dum cadunt, trementes emicant. Sed ego ad ſcripturam veterem, quam *Lipſius*

*Lipſius* habet, *detadum pondere*, non minùs propè accedere arbitrabar, ſi verſus iſte ita exararetur:

*Et micant lacrymæ trementes de roſarum pondere.*

id eſt, de roſis gravitate roris conquiniſcentibus & caput inclinantibus. Ita namque Auctor Idyllii *εἰς τὸ ἔαρ*.

*Οἵδ' ἁπαλὴν πινόντες ἀεξιφύτε δρόσον ἠῶς,*
*Λειμῶνες γελόωσιν, ἀνοιγομένοιο ῥόδοιο.*

*Jam matutinum vario gemmantia flore*
*Prata bibunt tenerem rorem, calyceſque roſarum*
*Dum ſeſe lento pandunt conamine, rident.*

Sicuti vertit *Rittershuſius in Anthol. lib.* I. *in fine.* Vel ſanè ita quoque non malè ſcriberetur:

*Et micant lacrymæ trementes vitium de vulnere.*

Ab oculis namque vitium ad roſas ſpeciatim jam progredi videtur. Nec aliter in Archetypo *Georg.* 2. *Virgil.*

— *nec metuit ſurgentes pampinus auſtros,*
*Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:*
*Sed trudit gemmas.*

Atque ſic Chriſtianus Poëta *Fortunatus in hymno Paſchali*, quo multis idem vernum tempus depinxit, cecinit:

*Caudice deſecto lacrymat ſua gaudia palmes,*
*Unde merum tribuat, dat modò vitis aquas.*

Suſpicabar etiam priùs:

——— *déque tectûm pondere*

(Verſ. 18.) *Gutta priæceps orbe parvo ſuſtinet caſus ſuos.*]

Quaſi ros matutinus, ſuperveniente Sole, de tectis ſenſim ſtillet, ita, ut guttulæ, tametſi in præcipitio poſitæ, in ſemetipſas collectæ, caſum quodammodo ſufflaminent. Sed tamen, ut quod res eſt, fatear, vel hic poſterior verſus

adſerit illud *caduco* vel *cadivo* in verſu priore. Id enim videtur dicere *Pernoctator*: Quùm Venus imbrica roris lucentis guttulas longè latéque manè diffuderit, emicant illæ ad inſtar lacrimularum, urgente ſuo ponduſculo tremulæ, ut jamjam caſuræ videantur, & nihilominùs tamen ob figuram orbicularem à caſu retinentur. Atque in ejuſmodi maceratione & humectatione atque commiſtione elementorum vim Veneris potiſſimam regnare *Euripides* demonſtratum ivit.

Ἔργῳ δὲ δείξω τὸ σθένος τὸ τῆς Θεοῦ·
Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ᾽, ὅταν ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει·
Ἐρᾷ δ᾽ ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν, Ἀφροδίτης ὕπο.
Ὅταν δὲ συμμίχθητον εἰς ταὐτὸν δύο
Τίκτουσι μιν πάντα καὶ ἐκτρέφουσ᾽ ἅμα.

*Enucleabo robur ipſa re Deæ.*
*Amavit imbrem terra; cùm ſiccum ſolum eſt,*
*Non eſt ferax ſqualore, poſcitque humidum:*
*Amatque cœlum pluribus plenum imbribus*
*Ob hanc Deam terris deorſum cedere.*
*Ubi duo miſcentur iſta, unúmque fit,*
*Naſcuntur inde cuncta, quæ nos nutriunt,*
*Ob quæ viret vigétque vis mortalium.*

Citavit *Ariſt.* 8. *Ethic.* *Athenæus* 13. & *Stobæus in Phyſ.*

## Verſ. 19.

*In pudorem florulentæ prodierunt purpuræ.*]

Ita *Pithœus*. Nec abs re (*adjicit:*) ſuſpicetur quis & hæc, & alia quædam in hoc carmine confuſa, nec ſuo loco poſita. *Scriverio* prorſus idem viſum, nec pauca deſiderari in hoc poëmate. Quod ſi verum eſt, liceat quædam aliter ponere, & alias ſimul lectiones exponere. Nam quid tentare nocebit?

*Tum Chroni vi de ſupernâ* } *ſpumeum ponti*
*Tum calore de ſuperno* } *globum*

*Cæru-*

*Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos;*
*Fecit undantem Dione de maritis imbribus.*

Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.

*Facta Cypris de cruore, deque Amoris oſſulis,*
*Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris;*
*Ipſa gemmeîs purpurantem pingit annum floribus:*
*Ipſa ſurgentes favillas de Favonî ſpiritu*
*Urguet in focos tepentes: ipſa roris lucidi*
*Noctis aura quem reliquit, ſpargit humentes aquas.*
*Emicant lacrimæ trementes decidivo pondere:*
*Gutta præceps orbè parvo ſuſtinet caſus ſuos.*
*Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*
*Humor algens, quem ſerenis aſtra ſudant noctibus,*
*Mane virgineas papillas ſolvit humenti peplo.*
*Ipſa juſſit, manè ut udæ virgines nubant roſæ:*
*Cras ruborem, qui latebat veſte tectus igneâ,*
*Unico, marita, nodo non pudebit ſolvere.*

Videat Lector, quàm eleganter hæc omnia correſpondeant, & quadrent invicem! Illa videlicet Diva, quæ de cruore & gemmis eſt, gemmeis quoque floribus purpurantem annum, ſeu ver pingit; & quæ calore de ſuperno, deque flammis orta eſt, latitantes quoque ſub cinere amoris ignes, atque favillas flabris Favonii excit, atque ventilat, inque notos, vel etiam nudos penates, aut focos quoque tepentes propellit & effundit: Quæ denique de Chroni maritis imbribus, ſpumeoque ponti globo profecta, & inter cærulas catervas reperta eſt, ea ipſa quoque rorem nocturnum circumfert, & guttatim deſtillat. At quæ de Solis purpuris, ſeu aurorâ prodiit, roſas quoque purpureas produxit; eáſque noctu, velut à partu balneatas, poſtero ſtatim die è virginibus maritas fieri voluit, ut loquitur *Salmaſius*. De manè ſcilicet papillatum earum corymbum humenti peplo ſolvens, inque nuptias ſimul proritans, ut in craſtinum tandem omnem ruborem, veluti nuptæ jam deponant, hoc eſt, jubet illa ex clauſis ac tectis, ut erant in calycibus ſuis, aperiri & expandi. Quocircà roſam ipſam Venus adloquitur (*verbis Salmaſii:*)

 Cras,

Cras, inquit, ô marita, quæ anteà virgo fueras, non pudebit te ruborem, qui veſte igneâ calycis tectus latebat, unico nodo ſolvere, & in apertum prodere. Quam ad rem compendio quoque demonſtrandum egregiè faciet gemmula *B. Hieronymi Epiſt.* 26. *ad Pammachium*, *Conſolat. ſuper obitu Paulinæ Uxoris:* Quis parturientem roſam, & papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immaturè demeſſum, æquis oculis marceſcere videat? Exindéque *vetus Epigramma* hactenus ineditum, quod ex codice *Salmaſii* deſcripſit *Scriverius*, confectum arbitror:

*O quales ego mane Roſas procedere vidi!*
*Naſcebantur adhuc: neque erat par omnibus ætas:*
*Prima papillatos ducebat ſpica corymbos;*
*Altera puniceos apices umbone levabat;*
*Tertia non totum calathi patefecerat orbem;*
*Quarta ſimul nituit mutato tegmine floris.*
*Dum levat una caput, dúmque explicat altera nodum,*
*Huic dum virgineus pudor exſinuatur amictu,*
*Ne pereant, lege mane Roſam; citò virgo ſeneſcit.*

Evolvatur quoque *Eidyllium de Roſis inter* Catalecta *Virgiliana* haud dubiè quoque *Scholaſtici alicujus Poëtæ*, quale fuit & iſtud, quod jam recitavimus. Eidémque geminum eſt & hoc ſimilis alicujus in eodem argumento præexercitamentum ἄδηλον: quod tametſi *de floribus*, & roſis præſertim agat, non proptereà *Flori* eſt, ſicuti eo nomine deceptum videmus & *Salmaſium*, qui hoc primus *ad Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores* exhibuit, & *Opitium*, qui Germanicè loqui illud docuit. Ita autem habet:

*Venerunt aliquando Roſæ: proh Veris amœni*
*Ingenium! una dies oſtendit ſpicula florum;*
*Altera pyramidas nodo majore tumentes;*
*Tertia jam calathos: totum lux quarta peregit*
*Floris opus: Pereunt hodiè, niſi manè legantur.*

Sed è diverticulo in ſemitam! atque ordinem vulgarem carminis noſtri porrò perſequamur. Ubi tamen *phraſi Scriverianâ* fatuum, inſulſum, atque ineptum arbitramur, quòd

quòd idem *Scriverius* verſum iſtum 19. ita voluerit corripere, non corrigere ;

*In pudorem floris Ennæ prodierunt purpuræ.*

Quantò meliùs *Salmaſius :*

*Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*

Id eſt, purpureæ roſæ ab illis roris guttis perſperſæ prodiderunt ruborem, (qui eleganti metaphorâ *pudor* dicitur, ut aurora pudori color *Lævio apud Gell. lib.* 19. *cap.* 7.) cùm priùs calycis nodo tectus latitaret. Nam & *Fabius Planciades Fulgentius* illam voculam in ſuâ imitatione ita retinuit :

*Guttulas ubi florulentæ manè rorant purpuræ.*

Abſque quo ſi fuiſſet, elegiſſem ego *rorulentæ.* Hæc enim cauſa eſt, cur ſe flores aperiant, quia rore maceratæ :

*Dum teretes per prata micant ludûntque pruinæ,*
*Stilláque flammeolis dependet vitrea calthis.*

Uti *Tagautius*, novus quidem, ſed egregius Poëta cecinit. Sed *Verbeſius* quoque *verſ. hunc* 19. *&* 6. *ſuprà in Epithalamio noſtri Corvini* æmulatus eſt parili trochaico :

*Imperator magne cœli, Juppiter ſummi Jovis,*
*Purpurâ jam florulentâ pinge currum myrteis*
*Implicatum de flagellis &c.*

Verſ. 20.

*Humor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus,*
*Manè virgineas papillas ſolvit humenti peplo.*

*Lipſius* has *virgines papillas* reſcribens, nondum compreſſas & maritas interpretatur. Quod irriſit *Scriverius :* cùm tamen nec ipſe negare poſſit, ſi vel de roſis intelligatur, eas quoque virgines maritis & manu veluti compreſſis opponi. Malim autem *virgineas papillas*, ut ab initio ſcriptum, nam

nam ſequenti ſtatim verſu *virgines roſæ* redeunt. Integer verò verſus ille 20. apud modò allegatum *Afrum Mythologum lib.* 1. ita legitur:

*Humor algens, quem ſerenis aſtra ſudant noctibus.*

*Sudant* pro *rorant*. Unde ipſe quondam argutabar;

*Humor algens, quem ſerenis aſtra plorant noctibus,*

Veluti viam præiverat *Lucretius lib.* 1.

*— — Permanat aquarum*
*Frigidus humor & uberibus flent omnia ſuccis.*

*Columella lib* 10. ſimiliter;

*Aut fons illacrimat putei non ſede profunda.*

De ſerenis noctibus vid. *Barthium ad Claudian.* Pro *umenti peplo, quo humor ſolvit papillas*, exoptarem *uvido* vel *uventi*, aut *udanti*; modò namque *umentes aquæ* adfuerant. Dicitur autem *peplum noctis*, ●i *Varroni Atacino in carm. de Luna*, & aſtrimicum peplum *Capellæ lib.* 6. atque *Fulgentio* peplum ſtellatum,

## Verſ. 22.

*Ipſa juſſit, manè ut udæ virgines nubant roſæ,*
*Fuſæ aprino de cruore, deque amoris oſculis,*
*Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris.*]

Poſt *Douzam* quidem & *Pithœum Lipſius* hæc ita, & addit: Venus juſſit, ut manè virgines tegant ſe ornentque, atque adeò priſcâ velandi ſignificatione nubant udis ab humore noctis & quaſi ebriis roſis, & quæ à ſanguine Adonis, quem aper occiderat, ruborem traxerunt. *Fuſæ* ergò, tinctæ, ſive perfuſæ, niſi quis eligat *Fuſcæ*. Sed *Scriverio* iterum ridiculus eſt *aprinus cruor*, pro Adonidis, quem aper occiderat. Mavult igitur legi:

*Facta Cypris de cruore.*

Quod & nos approbamus, non tamen in caſu gignendi, ſed recto. De ipſâ ſiquidem Venere, ut anteà demonſtravimus, non de roſis hic verſus loquitur, uti nec ſequens. Proinde nec *Lipſius* quoque rem acu hîc tetigit, quando indicem huc protendens, *roſis illis nullum Rubinum, nullum ignem, nullámque purpuram rubicundiorem pronunciavit.* Non abnuimus quidem *Fabio mythol. lib.* 2. Veneri quoque roſas in tutelam adjectas, quòd eæ & rubeant & pungant; uti & libido rubet verecundiæ opprobrio, pungitque peccati aculeo: & ſicuti roſa delectat quidem, ſed celerrimè tranſit: ita & libido libet momentaliter, & fugit (dolet) perenniter. Non ignoramus quoque roſas Veneris ſanguine tinctas erubuiſſe, atque lacrimis oculo ſtillantibus alias quoque enatas, uti *Bion* de hâc re:

*Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν.*

At verò illud *priùs* & *Cypris* me ita tranſverſum abripuit, ut roſas hîc fundi vel creſcere poſſe non capiam, ſed trajectione omninò opus hîc eſſe exiſtimem. Et ne quid diſſimulem, hondum ſanè mihimet ipſe, nec alii in *verſ.* 23. ſatisfecerunt. Senſus quidem hic eſſe debuit, quòd Venus ipſa, quæ ex humido ſemine, & in humido nata elemento, virgines quoque ſuas roſas nupturientes humore gaudere voluerit. Quare neſcio, an non verſiculus iſte tantoperè depravatus:

*Fuſta prius de cruore, déque amoris oculis,*

ita quàm proximè ſit conſtituendus:

*Fuſa Cypris de cruore,* { *déque amaris* / *de mariſque* } *poculis.*

Vel ſanè:

*Fuſa Cypris de cruore, déque Amoris offulis.*

Niſi quis pro *oculis*, quos etiam *Dn. Barthius ad Calpurnii Eclog.* 5. hîc agnovit, ſed metri ratio non patitur, *ocellulis* exigat. Nam & Venus, ſeu libido inde nata, ἡ γὰρ ὄψις λαβὴ τοῦ πάθους ἐστί, viſus veluti anſa adfectûs Veneriſque eſt *Stobæo ſerm.*

*ſerm.* 74. Video tamen ab aliis præferri *Amoris oſculis*; queis florem hunc volunt coaluiſſe, uti *infra verſ.* 78. *florum oſculis Amor* viciſſim fertur *educatus*; Sed id Veneri accommodare nequibunt, de qua hîc agi prorſus perſuaſi ſumus. Unde neque iſtud *de ſolis purpuris* ita accipiendum, quaſi illa ex conchyliis modò nata eſſet; quod quidem *Plauto* non omninò imus denegatum, apud quem Trachalio ſervus *in Rudente* Venerem ita adfatur: *Te ex concha natam eſſe autumant, cave tu harum conchas ſpernas.* Sed de *Solis cœleſti oſtro* præſumendum eſt, quod, Venere lucem ferente, ſub auroram adparet. Hoc inſigniter illuſtrat *Roſæ* matutinæ iſtud jam tùm laudatum *Eidyllium:*

*Ambigeres, raperétne Roſis Aurora ruborem,*
*An daret, & flores tingeret orta dies?*
*Ros unus, color unus, & unum mane duorum:*
*Sideris & floris nam Domina una Venus.*
*Forſan & unus odor: ſed celſior ille per auras*
*Difflatur: ſpirat proximus iſte magis.*
*Communis Paphie Dea ſideris & Dea floris,*
*Præcipit unius muricis eſſe habitum.*

## Verſ. 25.

*Cras ruborem, qui latebat veſte tectus igneâ,*
*Unico, marite, nodo non pudebit ſolvere.*

Quemadmodum viſum eſt *Pithœo* & *Lotichio*, atque *Goldaſto*. Novus enim maritus tacitulus taxim uxoris ſolvebat cingulum, ut *apud Nonium Varro in* γεροντοδιδασκάλῳ, & *Lucretio lib.* 4. *verſ.* 1146.

*— Validos Veneris perrumpere nodos*
*Difficile eſt.*

*Janus Douza:* Quid ſi *mariti nodo*, ut ſit ὑφὲν? quod nec *Lipſio*, nec *Pithœo*, nec *Weitzio* video diſplicuiſſe. Sed ſi Roſam hîc adloquatur Poëta, ut *cum Salmaſio* diximus, cum eodem quoque legendum erit:

*Unico, marita, nodo non pudebit ſolvere.*

Nam

Nam & *Catullus in Epithalamio Manlii & Juliæ*:

*— Tibi Virgines*
*Zonulâ ſolvunt ſinus.*

Et ex eodem Varrone *B. Auguſtinus lib. 4. de Civitate Dei cap.* 11. adſtruit, Virginenſem Deam fuiſſe, cui virgines zonam ſolverent.

Reliqua anteà jam dum *ad verſ.* 19. adlata ſunt.

## Verſ. 27.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

Cùm in eo potiſſimùm *Noſtri* & omnium pervigilantium amatorum ſcopus præfixus ſit, ut rudes cumprimis in amore puellas à lanâ ac telâ ad otium, ferias, & voluptatem pertrahant;

*— Ita ut ingenium eſt omnium*
*Hominum à labore proclive ad libidinem:*

ceu *Terentius de Andria ſua* ſenſit; itaque cùm meris floribus, gemmis, purpuris præcedaneâ ſtrophâ pluiſſet: ipſa jam Venus in ejuſmodi lucum hortûmque myrteum, ubi illa omnia abundarent, ad feſtivas choreas convocaſſe hîc dicitur virgines; Néve Amorem extimeſcere poſſent, eumdem quoque feriatum, nudum & inermem prorſus comitari Nymphas Mater voluit, qui nullâ quidem re, niſi fortè ſuâ nuditate, laſciviores ſaltem lædere poſſet.

## Verſ. 28.

*Ipſa Nymphas Diva luco juſſit ire myrteo,*
*It puer comes puellis; nec tamen credi poteſt,*
*Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*]

Hæc iterum *Lipſius cùm Pithœo & Weitzio*, cui *vehere* hîc eſt, recondita habere arma, ſicuti *Alcimus ad Fuſcinam* ſororem dixit: *Vehere fercula.* Quo nomine haud uſque adeo improbanda foret adnotatio *Meurſii* in orâ libri: *texerit.*

Quam-

Quamvis *Scriverio* ſecus viſum; qui ex melioribus codicibus *Prudentii contra Symm. lib.* 2. *verſ.* 533. hunc citavit:

*Non armata Venus, non tunc clypeata Minerva*
*Vexere auxilium.* id eſt, tulere: aliàs *Venêre auxilio.*

Atque ſic ſanior quoque *Salmaſii* explicatio, quâ *vehere* pro ferre & geſtare ævo illo; quo vixiſſe putat *Pervigilii auctorem*, dixit uſitatum; ut *apud Ammianum Marcell.* crebrò: ex. gr. *lib.* 16. anteriorem chlamydis partem utraque manu *vehens.* Sagittas verò Amor idcircò geſtare dicitur *Servio ad* 1. *Æn.* vel quia Amorem & libidinem ſequitur punctura pœnitentiæ & dolor: vel quia ipſæ incertæ veloceſque ſunt. Quam poſteriorem rationem reddidit quoque *Propertius Eleg.* 12. *lib.* 2.

*Et meritò hamatis manus eſt armata ſagittis,*
*Et pharetra ex humero Gnoſſiá utroque ſonat.*
*Antè ferit quoniam, tuti quàm cernimus hoſtem,*
*Nec quicquam ex illo vulnere ſanus abit.*

## Verſ. 31.

*Ite Nymphæ, poſuit arma, feriatus eſt Amor,*
*Juſſus eſt inermis ire, nudus ire juſſus eſt,*
*Neu quid arcu, neu ſagittâ, neu quid igne læderet.*]

Nam cùm *Orpheus in hymno* ipſius habitûs ita patefeciſſet:

Τοξαλκῆ, πτερόεντα, πυρίδρομον, ἡδὺν ἔρωτα.

*Arciferum, alatum, celerem, flammiſque potentem*

celebrans Amorem: *Palladas* contrà nudo inſignia, potentiam animorúmque motûs ſignificantia addidit:

Γυμνὸς ἔρως διὰ τοῦτο γελᾷ, καὶ μειλιχός ἐστιν
Οὐ γὰρ ἔχει τόξον καὶ πυρόεντα βέλη. &c.

*Nudus amor ridet, lætatur & ille, nec arcûs,*
*Nec flammata gerit ſpicula, vel pharetram.*
*Jure quidem recto florem delphináque geſtat:*
*Continet hâc terras, hac maris alta manu.*

Sic in *Pſyches commento Apulejano lib. 5.* Ante lectuli pedes jacebat arcus, & pharetra, & ſagittæ, magni Dei propitia tela. Cùm ergò pro *nudus* anteà legeretur *durus: Scaliger* edidit *purus*. Sed *Lipſius* & *Salmaſius* laudant iſtud *Pithœi nudus*, & ad ſententiam rectè valere cenſent. Sic enim & *infrà verſ. 55.*

*Juſſit & nudo puellas nil Amori credere.*

*Amor feriatus & inermis, neu quid arcu, neu quid igne lædat*, Cœlitem indicat Amorem, mitem, honeſtis cupiditatibus & viribus ſacræ caritatis exſultantem, antiquiſſimum numen, cui ſe naturæ debet æternitas, mortalibus liberos uſitatâ conjugii pietate præſtantem; non alterum vulgarium, inquietum, laſcivientiſque ætatis inſtinctu tumultuoſum ac petulantem, telis funereis facibúſque armatum, & inceſta, libidines, adulteria & meretrices procurantem. Verba *Quintiliani declam. XV.*
Et in illo, qui jam proximum ſequitur:

## Verſ. 34.

*Sed tamen cavete Nymphæ, quod Cupido pulcher eſt:*
*Totus eſt in armis idem, quando nudus eſt Amor.*]

Ita benè iterum *Pithœus*, judice *Lipſio.* Arma enim jam tum nominaverat, arcum, ſagittam, ignem. Homo verò *in* aut *ſub armis* vocabatur: Ut *Virgil.*

— *Sedet circum caſtella ſub armis.*

Quem imitatus & *Prudentius adverſus Symmach.* infrà *ad verſ. 51.* adducendus. Et *Ennius:*

— *Levêſque ſequuntur in haſtis:*

pro, *armatus*, & *haſtati*. Et hic eſt ſenſus *Salmaſio*: Cavete Nymphæ vobis ab inermi & nudo quoque Cupidine. Quod enim pulcher eſt, totus eſt armatus, etiam cum armis exutus, & nudus eſt. Nam pulchritudo illi ſatis valida armatura, quam utique pro face & telo habet. Sic *Au-*

*rel. Prudentius in Pſychomachia*, pugnam cum ſobrietate deſcribens Luxuriæ:

> *Quæ cùm* pervigilem *ructabat marcida cœnam*
> *Sub lucem; quia fortè jacens ad fercula raucos*
> *Audierat lituos, atque inde tepentia linquens*
> *Pocula, calcatis ad bellum floribus ibat.*
> *O nova pugnandi ſpecies! non ales harundo*
> *Nervo pulſa fugit, frameam nec dextra minatur:*
> *Sed violas laſciva jacit, foliiſque roſarum*
> *Dimicat, inſpirans labefacta per oſſa venenum,*
> *Et malè dulcis odor domat ora, & pectora & arma.*

Cùm ergò *Scriverius* ſcriptum hîc reperiſſet:

> *Totus eſt inermis idem,*

ut non modò ſenſui, ſed & verſui laboranti mederetur, trajectione conſtituendum locum putavit, & *Salmaſio* quoque adprobavit:

> *Eſt in armis totus idem:*

Niſi quis ita velit:

> *Totus eſt armatus idem.*

aut ſimile quid, ut:

> *Neutiquam eſt inermis idem.*

Ipſe verò cùm cernerem, argutiolam geminam hîc adfectatam à noſtro *Auctore*, ut ſicuti prægreſſo tetraſticho, Amorem non feriatum & feriatum iiſdem verbis prædicâſſet: it eum ipſum hiſce quatuor proximis verſibus nudum & non nudum, item inermem, nec tamen prorſus inermem, neutrâ mutatâ voce dixerit: itaque lego:

> *Totus haud inermis idem, quando nudus eſt Amor:*

Hoc eſt, licèt videatur aliquâ ex parte exarmatus, haud quaquam tamen ex omni; nec totus armis exutus, ſed v

nuditate illâ & pulchritudine quibuſdam adhuc munitus metuendus eſt.

Αὐτὸν Ἄρη γυμνὴ γὰρ ἀφώπλισας Κυθέρεια.

Id eſt,

*Nuda dearmaſti Martem Cytheréa vel ipſum,*

nquit *Leonides in Anthol. lib.* 4. *Tit. XII.* & *Moſchus in Amore fugitivo:*

Γυμνὸς μὲν τόγε σῶμα, νόος δὲ οἱ ἐμπεπύκασται.

Id eſt,

*Nudum corpus habet, mentem fallacia velat.*

Εὕδεις ἀγρύπνους ἐπάγων θνητοῖσι μερίμνας,
Εὕδεις ἄτηρης, ἆ, τέκος Ἀφρογενοῦς.
Οὐ πεύκην πυρόεσσαν ἐπηρμένος, οὐδ' ἀφύλακτον
Ἐκ κέρατος βάλλων ἀντιτόνοιο βέλος,
Ἄλλοι θαρσείτωσαν· ἐγὼ δ', ἀγέρωχε, δέδοικα,
Μή μοι καὶ κνώσσων πικρὸν ὄνειρον ἴδῃς.

*Dormis, qui vigiles curas mortalibus indis,*
*Dormis, ab fili Spumigenæ indomite;*
*Igniferam haudquaquam faculam erigis, aut tuo ab arcu*
*Improviſa jacis ſpicula flexibili.*
*Sint ſecuri alii, ſed ego timeo, improbe, ne vel*
*Cùm dormis videas ſomnia acerba mihi.* Anth. 4.

Cupido namque nudus pingebatur *Philoſtrato in Eiconeus*, & ſimulacrum Cupidinis nudi eſt *apud C. Plinium lib.* 36. *cap.* 5. Rationes vide *Alexandr. Probl. cap.* 85. lau- ante quoque loca illa *Th. Dempſtero additam. ad Antiq. Rom. lib.* 2. *pag.* 138. Et infrà plura *ad verſ.* 55.

Atque hîc obiter in mentem venit Neronis, qui tan- iam alter Veneris Martiſque filius crudelitate & libidine upidinem ſuperabat; nunc quidem voluptatibus mulie- ibus totus immerſus & amicus, poſitiſque veluti armis udus & mitis; mox reſumtis Cæſaris viribus armatus, ec unquam ferians, ſed virorum tam juvenum, quàm ſe-

num flagitia diris modis exſequens. Sicuti illa omnia *Petronius in Satyrico ſuo* verè, non minore tamen cum flagitio revelavit. De quo JULII cujuſdam carmen *à Bineto Romæ in Vaticana Bibliotheca* mendoſiſſimè deſcriptum habetur, quòd cùm à maximis viris nondum reſtitui potuerit, hîc perfectè adſerere & poſtliminiò reducere ſatagamus.

*Petronî carmen divino pondere currit,*
*Quo juvenum mores arguit atque ſenum.*
*Quartillæ proſâ gaudet laſciva puella,*
*At quoque delicias frigida ſentit anus.*
*Nam pariter diri* (duri) *ſcripſitque Neronis amici* (amantis)
*Arbiter, arbitrio dictus ita ipſe ſuo.*

Id eſt, *Petronius* & venâ Poëticâ & vi pollet Rhetoricâ; illâ virorum ferè vitia & circa Remp. errata eluit & caſtigavit; hâc magis ſcortorum anuúmque decrepitarum Venereas expeditiones in ſolutâ oratione depexuit, Quartillam cumprimis Priapi Sacerdotem cum virgunculâ in maximum repentè riſum effuſam, & mox Divo ſuo pervigilantem exagitans. Sic enim *Petronius* ſcribere geſtiit, ut ſimul diri crudeliſque Neronis illinc, at hinc ejuſdem amici atque mitis voluptuarii arbiter jure poſſit, & ſuo quidem ipſius arbitrio ſalutari. Cæterùm quum & *verſu hoc* 34. & *antecedenti* 32. Cupido *inermis* feratur, qui ſaltem aliquantiſper arma poſuerit; mirum ſanè eſt, quî Deorum ſummus Juppiter planè exarmatus præſumi valeat, ſiquidem vindictæ foret ſtudioſior. Planè igitur adverſus majeſtatem Numinis eſt non arma deſerere, ſed ab armis deſeri. Quemadmodum quidem communiter ita *Naſon. verſiculus* 2. *Triſtium* in ore omnium ſonat:

*Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat*
*Juppiter, exiguo tempore* inermis *erit.*

Ubi *MSc. Sophologium Jacobi Magni lib.* 2. *Tract.* 3. *cap.* 4. *de miſericordia & juſt.* expreſsè præfert, *mitis erit.* Quod oppoſitè quoque verſui ſequenti reſpondet. Hic eſt enim ſenſus *Ovidii*, ſi juſtitia divina prævalere deberet, tùm

Deus

Deus rarò admodum vel numquam miſericors eſſe poſſet: cùm tamen & de conſuetudine & de natura vel eſſentia Numinis ſit, ut miſericordiæ potiùs, quàm juſtitiæ ſtudeat. Hinc ſudum crebriùs atque diutiùs cœlum eſſe patitur, infrequentiùs tonat atque fulminat, idque exiguo temporis ſpatio;

*Nunc ubi detonuit, ſtrepitúque exterruit orbem,*
*Purum diſcuſſis aëra reddit aquis.*
*Jure igitur genitórque Deûm rectórque vocatur, &c.*

i. e. Ut *Accius in Bacchis* etiam trochaico reddidit: Sæpè *ſplendet idem, ac idem nimbis* interdum *nigret.* Comparet mihi verò aliquis hæc ipſa cum illo *inermis*, & minùs cohærere hoc tetraſtichon conſpicabitur.

## Verſ. 36.

Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.
*Compari Venus pudore mittit ad te virgines:*
*Una res eſt quam rogamus, cede virgo Delia,*
*Ut nemus ſit incruentum de ferinis ſtragibus.*]

In hâc ſtrophâ adloquitur jam Deam ſilvarum, ut *Ovidius* 3. *Metam. vocat*, ſeu Nemorenſem illam Dianam, in Delo natam, ut abeſſe tantiſper dignetur ab hoc luco, quem viſitare virgines voluiſſet Venus. Tametſi namque (*ut eſt in Seculari Catulli carmine* ad hanc Divam:)

*Dianæ foret in fide*
*Puella & puer integer:*
*Dianæ hinc pueri integri*
*Puellæque canebant:*
*O Latonia Maximi*
*Magna progenies Jovis,*
*Quam Mater prope Deliam*
*Depoſivit olivam:*
*Montium Domina ut fores,*
*Silvarumque virentium,*
*Saltuúmque reconditorum,*
*Amniúmque ſonantum.*

Nunc tamen eædem virgines & puellæ eamdem veniunt rogatum Dianam, ut de nemore hoc pauliſper, juréque ſuo cedens det locum Veneri: non quòd non eædem Nymphæ tam pudicæ eſſent, quàm ipſa forſan Diana; ipſas tamen teneriores regerit & molliores eſſe, quàm quæ ſanguinem & ſtragem ferarum in venatu ferre poſſent, aliàs ipſa quoque Venus Divam alteram facilè pateretur.

Quæ namque tempeſtivæ erant virgines ad nubendum, illæ in more habebant caniſtrum ferre Dianæ &c. *Interpres Theocriti Idyll.* β. ad ſeſquiverſum illum:

> Ἦλθ' ἁ τῶ Εὐβούλοιο κανηφόρος ἄμμιν Ἀναξὼ
> Ἄλσος ἐπ' Ἀρτέμιδος.

*Ad lucum Dianæ venit Eubuli filia ciſtifera nobis Anaxo.* Ἐκανηφόρουν δὲ τῇ Ἀρτέμιδι αἱ ὥραν ἔχουσαι γάμου, ὥσπερ ἀπολογούμεναι περὶ τῆς παρθενίας τῇ θεῷ, ἵνα μὴ ὀργισθῇ αὐταῖς μελλούσαις τὸ λοιπὸν φθείρεσθαι. *Dianæ caniſtros gerebant nubiles, quaſi Deæ pro virginitate reſpondentes, ne iraſceretur ipſis in poſterum corrumpendis.*

Indéque porrò poſt hunc verſum ultimum, alium in ſuo exemplari reperit *Salmaſius:*

## Verſ. 40.

> *Ipſa vellet te rogare, ſi pudicam flecteret,*
> *Ipſa vellet, ut venires, ſi deceret Virginem.*]

*Pithœus* huc tranſtulit ex auctore Poëmatii de Herone & Leandro:

> Παρθένον οὐκ ἐπέοικεν ὑποδρήσσειν Ἀφροδίτῃ,
> Παρθενικῆς οὐ Κύπρις ἰαίνεται.

Innuit autem *Pervigilii auctor*, quòd ipſa Venus quoque Dianam cuperet adeſſe invitam ſacris ſuis, ſi modò hæc quicquam cum Venere commune habere vellet, & à ſuo decenti pudore, atque ſeveritate virginali tale quid impetrare poſſet, præſertim verò, ut nocturnis hiſce ſpectaculis intereſſet. Cùm non rarò auditum, κόρην βίᾳ διαπαρθενευθεῖσαν ἐν παννυχίσιν, ut loquitur *Heraclitus in Epiſtolâ ad*

*Her-*

'ermodorum. *Gellius* quoque *lib.* 11. *cap.* 23. & *Plautus* *Aulularia* meminere vitiatarum noctu in Veneris Pervi-liis. Quamobrem & *M. Tullius lib.* 2. *de Leg.* nocturnas :as in Diis colendis pervigilationes *poſt Ariſtophanem* im-'obavit, ſanciendúmque putavit, ut mulierum famam ıultorum oculis lux clara cuſtodiat. Quare à pannychiis ıjuſmodi Auguſti ſeculo juvenes abeſſe utriuſque ſexûs ıſſi, niſi cum aliquo majore natu propinquorum. Unde :quitur:

## Verſ. 42.

*Jam tribus choros videres feriatos noctibus,*
*Congreges inter catervas ire per lucos tuos,*
*Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.*]

ld hujuſmodi feſta Pervigiliorum tripudia videtur reſpe-iſſe *Venuſinus*, vel veriùs *Romanus Lyricen in Oda:*

*Solvitur acris hiems gratâ vice Veris & Favoni:*
*Jam Cytherea choros ducit Venus imminente Lunâ,*
*Junctæque Nymphis Gratiæ decentes*
*Alterno terram quatiunt pede, &c.*

'ervigiliúmque hoc tàm ſollemne non adeò abſimile vide-ur ludis ſecularibus, quos *idem Horatius* ait fuiſſe,

*Ter die claro, totieſque gratâ*
*Nocte frequenteis.*

:t *Politianus* in verſione carminis Sibyllini de eadem re:

*— — Tùm digna ſedilia Divis*
*Perque dies juxtà & noctes multeſima turba*
*Complento.*

'am tùm ad inſtar Cereris initiorum Pervigilia fiebant, ›i verò jam advenit feſtus dies, triduum, trinoctiúmque cris intenti in ripâ ipsâ Tiberis agitabant, quemadmo-ım verba ſonant ejuſdem *Angeli de monte Pulciano in* *iſcell. cap.* 58. Apud *Arnobium* quoque *lib.* 5. hujuſmodi ıcta Pervigilia & Pannychia memorantur, ùt & *apud Li-*

*vium lib.* 23. triduana. Septiduanorum quoque Pervigiliorum apud Ægyptios meminit *Juvenalis Sat. XV.*

*— — Cum magnæ gaudia cœnæ*
*Sentirent poſitis ad templa & compita menſis,*
*Pervigilique thoro, quem nocte ac luce jacentem*
*Septimus interea Sol invenit.*

Illud quoque ἐν παρόδῳ: *Ire* toties hîc repetitum, non deambulationem modò, ſed ſaltationem innuere, itaque & *choris* additum, ad choragium indicandum. Unde exteri: *entrar in danza*, à quibus & ipſas choreas *intradas* dixere vulgò Muſici. Sic *Virgil. lib.* 9. *Æneid.* cùm præmiſiſſet:

*— — Juvat indulgere choreis,*

ſtatim ſubdidit:

*— — Ite per alta*
*Dindyma, ubi adſuetis biforem dat tibia cantum.*

*Silius lib.* 8. *Punic.*

*Ibant, & læti ſanctum pars voce canebant.*

Nam & *juxta Arnobium lib.* 4. *fol.* 89. Gentis illa genetrix Martiæ regnatoris & populi procreatrix, amans ſaltatur Venus, & per omnes adfectus meretriciæ vilitatis impudicâ exprimitur imitatione bacchari. Id quod *lib.* 2. *fol.* 43. clariùs proſtituit: Idcircò animas miſit, cantionibus ut præirent obſcœnis numeroſiter, & ſcabillorum concrepationibus ſonoris, quibus animarum alia laſciviens multitudo incompoſitos corporum diſſolveretur in motus, ſaltitaret, & cantaret, orbeſque ſaltatorios verteret.

*Congrex caterva* hîc, ut *apud Prudentium ſegrex*, adjectivè. Eſt autem, *ut in Glôſſis*: ὁμόφυλος, tribulis, congrex, gentilis. *Auſonius Epiſt. ad Paulinam:*

*— — Congrege vulgo*
*Auguſtas ſervare vias.*

Quod

Quod verò ſacrum cum roſarum floribus, & myrto Veneri inde Murciæ dictæ, (prout U Latinorum, & υ Græcorum eodem ſono prolatæ) factum, *ſuprà ad verſ. 5.* præmonſtravimus. Sic quoque *Ovidius Naſo* 4. *Faſtorum:*

*Numina vulgares Veneris celebrate puellæ:*
*Cúmque ſuâ Dominæ date grata ſiſymbria myrto,*
*Textáque compoſitâ juncea vincla roſa.*

Et *Horat. Od.* 4. *lib.* 1. jam citatâ, poſt Veneris choros ſubdit;

*Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,*
*Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.*

*Servius* quoque *in* 2. *Georg.* Paphiam Myrtum Veneream dixit à Papho inſulâ, in quâ Venus colatur, cui myrtus conſecrata ſit, vel quòd hæc arbor gaudeat litoribus, (*unde* 2. *Georg. litora myrtetis lætiſſima*) & Venus de mari dicatur procreata; vel, quòd, ut Medicorum indicarunt libri, hæc arbor apta ſit mulierum neceſſitatibus plurimis.

Nec ſiccè prætereundus eſt hoc loco mos ille vetus, honoris gratiâ dominis benè-merentibúſque obviantium, quo totum iter floribus coroniſque conſternebant, *ut Bagophanes Alexandro* Babylonem ingreſſuro fecit, *apud Curtium lib.* 5. Et Perſæ vias omnes myrto ſternebant, odoréſque per vicos incendebant Suſis, cùm nunciatum eſſet, Xerxen Athenis potitum. *Herodot. lib.* 8. *& Claudian. in Magn.*

*Limina cinguntur feſta frondentia myrto.*

*Apulejus lib.* 4. per plateas commeantem Venerem alteram populi frequenter floribus ſertis & ſolutis adprecantur. *Lucretius lib.* 2.

— *Sternunt iter omne viarum*
*Largifica ſtipe ditantes, ningúntque roſarum*
*Floribus umbrantes matrem comitúmque catervas.*

Uti quidem *Caſpar Gevartius ad Silvarum Papinianarum carm.* 2. *verſ.* 20. unà cum hoc ipſo correxit:

*Serta ferunt, nec blandus Amor, nec Gratia ceſſat*
*Floribus innumeris & olenti ſpargere nimbo.*

Quem locum & *Claudianus* fertur æmulatus *in Nupt. Honorii:*

*Nec miles, pluviæ, flores diſpergere, ritu*
*Ceſſat, purpureóque ducem perfundere nimbo.*

Iſtud φυλλοβολεῖν videſis *apud Pauſaniam lib.* 4. *Heliodorum* 3. *Appianum* 2. *Civilium*, *Herodianum lib.* 1. *Florum lib.* 2. *Lucianum Dialog. marin. Euripidem Hecuba*, *Suetonium Nerone cap.* 31, & *apud alios*, quorum vel nomina libellum concinnaverint, veluti *C. Barthius*, *optimè de literis nobiſque adeò meritus Semo*, *ad Claudianum*, (quem nova planè iteratæ recenſionis indutum veſte exſpectat Orbis) cenſuit. *Elmenhorſtius* multos *ad Minutium* quoque laudavit *p. LXX. Heſiodus* etiam *in Theogoniâ* ſtatim atque ſpumâ prodiiſſe Cyprúmque perveniſſe tradidiſſet Aphroditen Cyprigenam, circum herbas ſub pedibus ejus mollibus erupiſſe atque creviſſe adſeruit.

— — ἀμφὶ δὲ ποίη
Ποσσὶν ὑπὸ ῥαδινοῖσιν ἀέξετο.

Quorſum & illud *Satyrici* ſpectat:

*Quicquid contigeris, roſa fiat.*

*Scriverius* cùm hîc à librario ſcriptum vidiſſet: *Feriantis:* maluit ſcribi *feriantes:* non *feriatos:* quod Diana finito jam trinoctio haud veniret invitanda. Rectiſſimè quoque feriari dicitur chorus Venereus. Nam & *Diogenes apud cognominem Scriptorem*, τὸν ἔρωτα σχολαζόντων ἀσχολίαν definivit.

## Verſ. 44.

*Nec Ceres, nec Bacchus abſunt, nec Poëtarum Deus.*]

id eſt, *Apollo*, qui *Amoris diſcipulus* dicitur *Platoni in Conv. pag.* 1190. & apud *Stobæum ſerm.* 61. *in fine:* quia quilibet, licèt anteà rudis, Poëta evadit, cùm primùm Amor eum adflaverit. Unde in eam deveni opinionem, quatuor elegantes trochaicos alibi à nobis explicatos, & quos præter *Lipſium Barthius incomparabilis lib.* 56. *cap.* 5. ejuſdem *auctoris*,

*ris*, qui *Pervigilii* fuit, eſſe credidit, ſtatim præcedaneo illi ita ſubjungendus:

*Nec Ceres, nec Bacchus abſunt, nec Poëtarum Deus,*
*Hîc Apollo, deinde Liber hîc videtur ignifer;*
*Ambo ſunt flammis creati, proſatique ex ignibus;*
*Ambo de comis calorem, vite, radio conferunt:*
*Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.*

Nullo ſanè modo ſententiam impedirent, ſed adjuvarent, & explicarent meliùs. Præterquam enim, quòd ad Pannychia illa lumine indigerent, aliqua etiam re tempus ſomnúſque fallendus fuit. Unde *Maro lib.* 9. *Æneid.*

*Collucent ignes, noctem cuſtodia ducit,*
*Inſomnem ludo.*

Accedebat & hoc, quòd in minimè ſiccis Pervigiliis Ἀφροδίτης γάλα eſſet οἶνος *Ariſtophani apud Athenæum:* & ſaturitatis abundantia libidinem creet *Fulgentio Mythol. lib.* 2. Cúmque *juxta D. Hieronymum adverſus Jovinianum lib.* 2. eſus carnium & potus vini, ventriſque ſaturitas ſeminarium libidinis ſit; *unde & Comicus:* Sine Cerere, *inquit*, & Baccho friget Venus: pleno inſuper ventri, qui plerumque in libidines deſpumat, caput quoque hilare *noſtratium parœmiâ* impoſitum eſt, quod in carmina læta ſolvitur. Nam ut *Ariſtophanis Interpres in Equitibus* tradidit: εἰώθασι δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις ἁμιλλᾶσθαι περὶ ἀγρυπνίας, καὶ ὁ διαγρυπνήσας μεχρὶ τὴν ἕω ἐλάμβανε τὸν πυραμοῦντα. Certamen apud priſcos in Sympoſiis fuit Vigiliarum, ut qui vigilando auroram adtigiſſet, ille placentam auferret. Das Deiſtelbrodt. Quare præſentibus Cerere, Baccho & Apolline

## Verſ. 45.

*Decinunt, & tota nox eſt pervigilata cantibus.*]

*Ita ego quidem.* Non enim dubium eſt, quin in iſtâ feſtivitate pervigili Muſica prædominata fuerit, vocalis præſertim, ſed & inſtrumentalis. Quod menſium vetus pictura *in fragminibus veterum Poëtarum Pithœi* nobis inſinuat: Ubi

*Sacra*

*Sacra Dionææ referens ſollemnia matri,*
*Laſcivus crotalis plaudit Aprilis ovans.*

Quò ipſo, ſcilicet, tempore hoc Pervigilium vernum actu eſt. Unde fortaſſis ad utrumque tonum tàm cantillantiun quàm ſcabillis, & crepitaculis æneis tinnientium exprimei dum, haud malè quoque legi poſſe crediderim:

*Tintinant, & tota nox eſt pervigilata canticis.*

Ita *Arnobius lib.* 7. *pag.* 140. Quid ſibi volunt excitation illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? o dormiſcunt enim Superi, remeare ut *ad Vigilias* debeant
*Lipſius* verò pridem hîc in alia omnia abiit, legens:

*Detument, & tota nox eſt pervigil à canticis.*

Fatetur nihilominùs ipſemet, ſyllabam hîc præter vul morem productam, vitandi ſaltem ïambi gratiâ. De ve bo autem *detument*, id eſt, tumorem & faſtum Dii illi p nunt, effuſi in jocos, & ſolitam Pervigilio hilaritaten quamvis etiam *Statius Papin. lib.* 5. *verſ.* 468. non abſimi ter eâ voce uſus fuerit, adhuc tamen *idem Lipſius* delib ravit. *Salmaſius* porrò ait, ſe non videre, cur vera n poſſit videri tam expreſſa vetuſtiſſimi codicis ſcriptura:

*De tenente tota nox eſt pervigilanda canticis.*

id eſt, *Continenter*, *uno tenore*, & ut Galli dicunt: *d' tenant*, de uno tenente. Neque tamen negat ſcriptur *Detinent & tota*, quod etiam *Scriverius* agnovit: qui & ip cùm omnes in animo ſuo concenturiaret conjecturas, v nas omnes deprehendit, meliùs divinare jubens, qui ſe poſſe ſperaverint. Quid verò ſperatu facilius, quid p nius, quid aptius, quid propius Poëtarum Deum inſeq tur? quid choris tripudiantium, & conſuetæ Pervigilioru lætitiæ convenientius, quid ad ſomnum pellendum fortii & meliùs faciat, quàm *decinent*? Siquidem de nondum a ſoluto feſto fiat ſermo. Quamobrem non modò *Pitha apud Lipſium* ſcripſit *Nox pervigilanda*, ſed & *Salmaſius Trebellium Pollionem pag.* 303. legit: *perviglanda cantic*

ci

im ſcriptum exſtaret vet. cod. *perviclanda.* Nam *βίγλας βιγλάτορας* Græcia quoque recens, dubio procul è *Vigliis*, *Viglatoribus* pro Vigiliis ſuxerat & ſtruxerat. Inde ergò *perviglare*, pro *pervigilare* , quod adriſit etiam *Weitzio*. .tque etiamnum hodiè *Senenſes* vocant *Veglie* , hoc eſt, ervigilia, congregationem & adunationem illam, quam iberno tempore viri fœminæque ad voluptatem & recrea-onem inſtituere poſt cœnam ſolent. *Vide Theſaurum trium nguarum.* Tametſi nihil impediat, quò minùs *pervigilan-a* expreſſis omnibus literis hîc ſcribatur : ceu *Tacitus per-igilatam* convivio noctem 13. *Annali* dixerat. Similiter *Maximiano :*

*Haſta cluit Veneris pervigil obſequiis.*

Et *Galienus Imperator* ejuſmodi Veneris Pannychium flagi-tans, lychnos pervigilare voluit:

*Ludite, ſed vigiles nolite exſtinguere lychnos:*
*Omnia nocte vident. Nil cras meminêre lucernæ.*

## Verſ. 46.

*Regnet in ſilvis Dione, tu recede Delia.*]

Videtur hæc cantiunculæ illius, quæ totam noctem per-ſtrepuit, fuiſſe primaria portiuncula: Quaſi non Diana am-pliùs , ſed Dione debeat lucis hujuſmodi præeſſe, & ſola inibi in poſterum dominari. Quanquam *ſuprà pag.* 49. to-tum hoc carmen bacchantium, & ad rythmum ſaltantium non prorſus negaverimus fuiſſe cantilenam.

## Verſ. 47.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Licitè*, ſcilicet, ut explicat *Tobias Magirus in Polymnemone* (qui undecies hunc intercalarem repetitum ipſe quoque notavit, & adprobavit:) quod & ipſum verbum *amare* in-volvit. Multum enim intereſt, utrum Amor cœleſtis, an Cu-

Cupido, quem Plato vocat δημιόσιον, aliquem adflârit. ( *do inconſiderata eſt neceſſitatis, Amor judicii*, inquit *No* citâtque *Afranium: — Amabit ſapiens, cupient cæteri.* *Plaut. Bacchid. — Cupido te conficit, anne Amor.* Et ( *act.* & *ſc.* 1. *Venus Cupidoque imperat, ſuadêtque Amor.* tionem moderati amoris addit ibidem *Comicus*:

*Nemo ire quemquam publica prohibet via,*
*Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam:*
*Dum tete abſtineas nupta, vidua, virgine,*
*Juventute, & pueris liberis, ama quod lubet.*

hoc eſt, *Elige, cui dicas: Tu mihi ſola places. Ovid. de amand.*

Amandum itaque licitè, non licenter; & mode non inſanè: Alioqui ſi non ames, inhoneſto igne fl bis, ſi verò ames, calamitate & adverſitatibus tamen carebis. Ut rectè huc Arietinum Oraculum trans *è Gell. l.* & *cap.* 8.

*Peribo, ſi non fecero;*
*Si faxo, vapulabo.*

Quicquid ſit, amores potiùs ampliandi & odia reſtrin da. Ut non amicus modò, ſed & amica *è gemma ve* verbis *Rigaltii* caſtigatis videatur aliquem ita adfari:

ΕΙ ΜΕ ΦΙΛΟΥΝΤΑ ΦΙΛΕΙC, ΔΙCCΗ ΧΑΡΙC
ΔΕ ΜΕ ΜΙCΕΙC,
ΤΟCCΟΝ Μ'ΟΥΜΙCΕΙC, ΟCCΟΝ ΕΓΩ CΕ ΦΙ

*Gruterus inſcriptione ultimâ*; quod ita vertebam:

*Si, qui amo te, redamas, dupla eſt Charis;* (
*at me,*
*Non tam odiſſe potes, quàm te ego diligere.*

Verſ. 48. *Joſephus Scaliger* & *Douza:*

*Juſſit hyblæis tribunal ſtare Diva floribus:*
*Præſes ipſa jura dicet, adſidebunt Gratiæ.*

epida hercle ficlio eſt, *inquit Lipſius*, ut Venus in illo bunali quaſi præſes quæſitórque ſit, Gratiæ adſeſtrices. *Alciatus JCtus emblemate L.* illud agnovit:

*Tres Charites Veneri adſiſtunt, dominamque ſequuntur,*
*Hincque voluptates atque alimenta parant, &c.*

uod *è veteri quodam Epigrammate, Romæ adhuc exſtante,* ixiſſe illum ſtatuit *Claudius Minos*, qui & ipſe non inùs, atque *Pithœus in ſua collectione pag.* 124. hoc ita opoſuit:

*Sunt nudæ Charites niveo de marmore: at illas*
*Diva Columna ſuis ædibus intus habet.*

t paulò poſt:

*— Veneris turba miniſtra fuit.*
*Inde alitur nudus placida ſub matre Cupido,*
*Inde voluptates, inde alimenta Dei.*

as utique Veneris & Liberi filias nunciavit *Servius ad* 2. *En.* quòd per horum ferè Numinum munera concilientur harites; quas alii, *prout Placidus Luctatius l.* 2. *Thebaid. rſ.* 248. Veneris famulas ſcitati ſunt, ſicut & *Claudian. vithal. Palladii & Serenæ:*

*Idaliæ juxtà famulæ, triplexque viciſſim*
*Nexa ſub ingenti requieſcit Gratia quercu.*

[eminit quoque *Phornutus*, adſidentes Venerem ſibi hare Gratias, & Suadelam, & Mercurium. Sicuti & *apud pulejum* eadem Diva Gratiarum choro ſtipatur, & toto upidinum populo comitatur. Quorum partem *Weitzius* iam adnotavit, & illud: *Stare floribus*, ait eſſe *oppleri, nari, redimiri ac conſpergi.* Sic *Virgil.* 6. *Æn.*

*— — Stant lumina flammâ:*

eſt, pleni flammâ ſunt oculi. *Et* 12. *Æn.* pulvere cœm *ſtare* valet oppletum eſſe pulvere. Tangitúrque hîc erum illud vetuſtiſſimum honoris genus, non Romanis odò, & Græcis, ſed & Barbaris (uti jam oſtenſum) fre-

frequentatum, quo Reges & Principes, victores p ſertim reduces diſperſis floribus, ſertis & ſolutis e piebantur. *Ovidius lib.* 4. *Triſt. Eleg.* 2. de Auguſto triu phaturo:

*Quaque ibis manibus circumplaudère tuorum,*
*Undique jactato flore tegente vias.*

Similiter *Porphyrius Poëta Paneg. Conſtantini Aug.*

*Poſt Martios labores*
*Et Cæſarum, parantes*
*Virtutibus per orbem*
*Tot laureas virentes,*
*Et Principis tropæa:*
*Felicibus triumphis*
*Exſultat omnis ætas,*
*Urbéſque flore grato,*
*Et frondibus decoris,*
*Totis virent plateis.*

Benè verò *adſidebunt Scal.* ut mox: *Ruris hîc erunt p læ*, quas etiam *adſidere juſſit pueri mater alitis:* Nec al lex metri toleraret.

*Hybla* porrò cumprimis florilegio, & mellificio celel tur, unde etiam *ingenioſiſſimus ille Epigrammatarius Bil cus lib.* 5. in Nomen EARINI, Cæſaris Domitiani Eu chi, ludens dixit:

*Nomen cum violis roſiſque natum,*
*Quo pars optima nuncupatur anni,*
*Hyblam quod ſapit, Atticóſque flores.*

Quorſum, ut & ad φυλλοβολίαν, ſpectant & ſequentes ſiculi:

Verſ. 50.

*Hybla totos funde flores, quicquid annus adtulit.*
*Hybla florum rumpe veſtem, quantus Ennæ cam eſt.*]

P

*Prudentius hym.* 11. *Cathem.* Nato & adventanti Salvatori orbem vernantem, (quem mundum renatum, non verbo, aquâ & ſpiritu, ſed aëre tepido redivivum dixerat) prodiiſſe obviam cùm oſtendiſſet, ſubjunxit ad eumdem flores mittendi morem reſpiciens; & *Virgilium Ecl.* 4. *verſ.* 18. *& ſeqq.* imitans:

*Sparſiſſe tellurem reor*
*Rus omne denſis floribus,*
*Ipſaſque arenas ſyrtium*
*Fragraſſe nardo & nectare.*

Atque ſic *Hybla* h. l. *totos*, id eſt, omnis generis flores, & quantumcunque vernus annus proferre valeat, jubetur in occurſum Veneris, & ſociarum Venerum effundere. Eſt autem una Hyblarum ita dictorum montium in Siciliâ, non procul *ab Enno* vel *Ennâ*, quæ in umbilico ejus eſt inſulæ, Cereris olim templo nobilis, & nemore ſacro, ex quo Proſerpina fertur abrepta. Sic *Arnob. l.* 5. In nemore Ennenſi quondam flores Proſerpina virgo lectitabat. *In cujus raptu Claudian. l.* 2.

*Enna parens florum.*

Et *lib.* 3. ejuſdem Ennæ roſeæ convalles indigitantur. Campus Ennenſis utique in floribus ſemper, & in omni vernus die, *ut ſcribit Solinus.* Quin *Ætna* quoque floruenta dicitur, atque interdum pro *Enna* legitur. Quare ſic ego ſuſpicabar:

*Hybla totos funde flores, quotquot Ennas* (Ennus) *adtulit.*
*Hybla odorum rumpe meſſem, quantus Ætnæ campus eſt.*

Ita & tautologia evitaretur, & verbum *rumpere* non modò *meſſi* benè conveniret, ſed & hoc meliùs odoribus, ceu perfectis jam fructibus aptabitur, quàm floribus: veluti meſſis Sabæa Poëtis celebratiſſima. Haud abſimiliter *Dracontius v.* 317.

*Ibant per flores, per tota roſaria læti,*
*Inter odoratas meſſes, lucóſque virentes.*

*Virgil. Georg.* 1.

*Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.*

Atque hîc *Ætnam* quoque maluit *Pithœus*, quòd planities ad radices montis Ætnæ floribus benè olentibus ſit amœniſſima. Niſi quis priore carmine præferat:

*Quicquid Enifis tulit.*

Quaſi Hybla amne illo Siciliæ fœcundetur.

*Scriverius*, uti novus Alexander, nodum hunc Gordium, trajectis ita hemiſtichiis, ſolvi poſſe autumavit:

*Hybla totos funde flores, quantus Ennæ campus eſt,*
*Hybla florum ſubde meſſem, quotquot annus adtulit.*

Non diſplicet quoque *Salmaſio*, nec *Weitzio* correctio doctorum:

*Hybla florum* { *rumpe* / *ſparge* } *veſtem, quantus Ennæ campus eſt.*

Hoc eſt, quantum patet Ennæ campus, hunc ſparge florum veſte, ut totus nempe floribus ſit veſtitus: *Adduntque* nihil certius eo eſſe, nam jucunda oppidò tralatio eſt, cùm terra gramine, floribus & ſegetibus amiciri quaſi & indui dicitur. *Virgil.* 2. *Georg. verſ.* 219.

*Quæque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit.*

Quod *Cl. Marius Victor, in Geneſin lib.* 1. & *Alcimus lib.* 1. imitati:

*— — veſtita eſt gramine tellus.*

Atque ſic *Columella* ripas gramine veſtitas dixit. *Ob. Giſanius ad Lucr.* Veſtis continet omne tegumentum. Ita gramen, herbæ, ſegetes dici poſſunt veſtes terræ. *Pithœus* veſtium nomine thecas & vaginas florum ſignificare innuit.

Niſi quis fortè legere mallit:

Hybl

*Hybla florum rumpe reſtes, quantus Ennæ campus eſt.*

Quòd & *Plinius allii reſtes* dixiſſet. Sed retineamus flo-ulentas *veſtes*, quibus omni *Salomonæâ* gloriâ pulchriori-us aulæis voluit exornari tribunal Venereum. Et ſic ipſius:

*Hybla florum prome veſtem, quantus Enna campus eſt.*

Ex quo iterum intelligitur mos ille priſcus, flores & ra-nos, atque etiam veſtes in ingreſſu triumphali ſpargendi, ut *Matth. XXI. verſ.* 8. ὁ δὲ πλεῖςος ὄχλος ἔςρωσαν ἑαυτῶν τὰ ιμάτια ἐν τῇ ὁδῷ· ἄλλοι δὲ ἔκοπτον κλάδους ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ ἐςρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ. Ita *Prudentius lib.* 2. *adv. Symm. v.* 729.

*Quos ſpargam flores? quibus inſertabo coronis*
*Atria? quæ feſtis ſuſpendam pallia portis?*
*Immunis tanti belli, ac te ſtante ſub armis*
*Libera?*

Et *Panegyriſtes in Theodoſium:* Quid portas virentibus ſer-tis coronatas? quid aulæis undantes plateas, accenſiſque nalibus auctum diem referam? *Claudianus in nuptiis Ho-rii* iterum:

*— — Tu Gratia flores*
*Elige, tu geminas, Concordia, necte coronas.*
*Hi noſtrâ nitidos poſtes obducere myrto*
*Contendant, lucos & flammâ adolere Sabæos:*
*Pars infecta croco velamina lutea Serum*
*Pandite, Sidoniáſque ſolo proſternite veſtes.*

alis quoque Nympharum choréa ſacra per urbis corona-s vicos *oraculo*, *Chalcedone lapidi inciſo*, prædicta apud *nm. Marcellinum*, *Cedrenum & Socratem* legitur:

Ἀλλ' ὅτε δὴ Νύμφαι ἱερὴν κατ' ἄςυ χορείην
Τερπόμεναι ςήσονται ἐϋςεφέας κατ' ἀγυιάς. &c.

## Verſ. 52.

*Ruris hîc erunt puellæ, vel puellæ montium;*
*Quæque ſilvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt.*]

Ita legebam, ne otioſè & odioſè *montes* bis ſtatim repedarent. Intelligit enim præter *Oreadas*, ipſas quoque *Naïadas*, ceu *Nymphas* propriè dictas. Nam & ſuprà *ad verſ.* 42. *ex Horat. Od.* 4. *lib.* 1. *Carm.* dictum: in ſodalitio choriſque Veneris junctas fuiſſe Nymphis Gratias decentes: Ubi per Nymphas mulieres intelligi voluit *Acron*, per Gratias Virgines. Atque eamdem conjecturam noſtram amplexatum quoque fuiſſe *P. Scriverium* poſtea comperi, non obſtante manuſcripto, & editâ omnium expreſſiſſima ſcripturâ:

— *Quæque montes incolunt.*

Atqui puellas montium adfuturas, jam præcedente verſu (addit) dixerat. Nymphis verò illis fonticolis ferè magis gaudet Venus, quàm ipſo Vulcano & Baccho, uti *ex Aurelii Symmachi* Anacreontico *de Campania* liquet:

*Ubi corniger Lyæus*
*Aperit ſuperna vite;*
*Vulcanus æſtuoſis*
*Media coquit cavernis.*
*Tenet ima piſce multo*
*Thetis & Baïæ ſorores.*
*Simul innatat Choreis*
*Amathuſium renidens,*
*Salis arbitra & vaporis*
*Flos ſiderum Diona.*

*Vel* quoque pro *&* poni obſervavit *Weitzius ex Salmaſio*, qui *in notis ad Capitolinum pag.* 90. *&* 260. nec non *ad Lampridium pag.* 184. multa exempla convaſavit.

## Verſ. 54.

*Juſſit omnes adſidere pueri Mater alitis,*
*Juſſit & nudo puellas nil Amori credere.*]

Ita

Ita *Pithœus*, pollicem prementibus *Lipſio* & *Scaligero*, atque *Salmaſio*, nec contradicentibus *Weitzio*, *Douza*, aut *Scriverio*. Eſt autem *pueri Mater alitis* alma Cupidinis genetrix Venus, fugacis illius & fallacis puſionis, cui nec inermi fidendum ipſa quoque mater ſtatuit. Nam ut *ad verſ.* 35. ſuprà adductus *Moſchi* verſiculus ad verbum prodidit: Corpore quidem nudus eſt Amor iſte fugitivus, at mens illi tecta eſt.

> *Sed cur nuda Venus, nudi pinguntur Amores?*
> *Nuda quibus placeat, nudos dimittat oportet.*

Reſpondit *Epictetus Hadriano.* Cui adſtipulatur *Porphyrius* in Epigrammate:

> *Nudus, egens, Veneris naufragus in Pelago.*

*apud Fabium Planciadem Fulgent. lib.* 2. *Mythol.* qui hoc corollarium adponit: Hunc etiam *nudum* pingunt, ſive quòd nudos ſui adſectatores dimittat, ſive quòd libidinis crimen numquam celatum ſit, ſive quòd numquam niſi nudis conveniat.

Videtur autem Cupido, cum cautelâ audiendus, hoc Nymphis inſinuare, quod *in fragm. Varronianis*, dimidiatis verbis legimus:

> *Parent vivere, quas ſinit puellas*
> *Nunc ætatula ludere, eſſe, amare,*
> *Et polchræ Veneris tenere bigas.*

## Verſ. 56.

> *Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*
> *Et rigentibus vegentes ducat umbras floribus.*]

*Scaliger*, Codex quoque *Pithœanus* & *Salmaſianus* habuit:

> *Et rigentibus vergentes, aut virentes.*

Nec aliud elici poſſe viderunt, quàm:

*Et* (vel *è*) *recentibus virentes ducat umbras floribus.*

Quid ſi verò legam:

*Et vigentibus virentes?*

ut apud *Auſonium* in Monoſtichis:

*Annus ab exortu cùm floriparum referat ver,*
*Cuncta vigent, nemus omne viret.*

*Scriverius* quoque verſui intercalari ſtatim illud:

*Ex recentibus virentes &c.*

ſubdi cùm vidiſſet, locum integrum, nec mutilum eſſe, non auſus eſt adfirmare. *Inconcinna* (inquit) *mihi hæc, & frigida admodùm cum præcedentibus & ſequentibus connexio, valdéque à lepore hujus Poëtæ aliena videtur.* Itáne verò jam demum *Auctor Pervigilii lepidus* viſus eſt, qui alibi tam pinguis, craſſus, & puerilis eſt culpatus, & contrà *Lipſii* judicium, (qui delicias ejus commendaverat) planè inſubidus? Amplector tamen, quoad locum hunc, tuum, *Scriveri*, judicium, & verſum hunc trajectum & ipſe crediderim, adque præcedaneam ſtropham ita referendum:

*Juſſit Hyblæis tribunal ſtare Diva floribus.*
*Præſes ipſa jura dicet, adſidebunt Gratiæ,*
*Et recentibus virentes ducet umbras floribus.*
*Hybla totos funde flores, quotquot Ennus adtulit,*
*Hybla florum ſubde veſtem.* ——

Ut ſcilicet Venus cum Gratiis & Nymphis in loco & luco umbroſo adſidere valeat molliùs & meliùs. Atque ita quoque in principio ſtatim:

*Cras Amorum copulatrix inter umbras arboribus*
*Implicat caſas virentes de flagello myrteo,*
*Cras Dione jura dicet fulta ſublimi throno.*

Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.

que ad eumdem planè modum porrò ſuccedens hîc ſtro-a elegantiùs & firmiùs cohærebit:

Verſ. 57.

Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.
*Cras erit, quo primus æther copulavit nuptias,*
*Ut pater roris crearet vernus annum nubibus*
*In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis,*
*Utque fœtus mixtus omnes aleret magno corpore.*]

*Pithœus* hæc ferè ad eam faciem poſuit & *Lipſius*, qui nen verſ. 60. ubi *fluctus* priùs exſtabat, ſubſtituit *fluxus*, luti apud *Lucanum:*

— — *Æther defluxus in Auſtrum.*

que hos verſus 4. etiamnum mendoſos citavit quoque *rthius lib.* 16. *Adverſ. cap.* 60. & ad illos *Olympii Nemeſia- eclog.* 1.

*Omniparens æther & rerum cauſa liquores,*
*Corporis & genitrix tellus, vitalis & aër.*

iſque *Nocliani noſtri* idem *Barthius*, non minùs ac *Pi- eus* & *Salmaſius*, adludi putavit illos *Virgilianos* 2. *Georg.* *rſ.* 324.

*Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.*
*Tùm pater omnipotens fœcundis imbribus Æther*
*Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes*
*Magnus alit, magno commiſtus corpore, fœtus.*

déque *Lipſius* vidit, hujus Trochæi auctorem non *Catul- n*, ſed *Virgilio* quendam eſſe poſteriorem, quem hic ex- eſsè fuerit imitatus. Quo, ut apud *Rutilium*, nihil aliud pi adjicit *Barthius*, *vir omni laude major*, quam Deum

ſummum omnium Patrem mundo quaſi conjugio permixtum imperare. Proinde *Valerius Soranus apud Varronem*, è noſtrâ quidem correctione & diſtinctione rectiſſimè:

*Juppiter omnipotens, Regum, rerúmque Deúmque*
*Progenitor, genitrixque: Deûm Deus unus & omnis.*

Et *Ennii* trochaïci *in Epicharmo apud eumdem Varronem:*

*Iſthic eſt is Juppiter, quem dico, quem Græci vocant*
*Aërem, qui ventus eſt, & nubes, imber poſteà,*
*Atque ex imbre frigu', ventus, poſt fit aër denuò:*
*Hic quod omnes, & ſub hoc ſunt iſta, quæ dico Jove,*
*Quique mortales & arva belluáſque omnes juvat.*

Eadem *Euripides* dixerat:

— — — — *αἰθέρα,*
*Τὴν γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις, &c.*

Quæ *Cicero* 2. *de nat. Deor.* & *Pacuvius in Chryſe* fuſiùs interpretatur, (quem & *Lucret. lib.* 5. ſecutus)

*Hoc vide circum ſupráque, quod complexu continet*
*Terram, id noſtri memorant cœlum, Græci perhibent Æthera:*
*Quicquid eſt hoc, omnia is animat, format, auget, alit, ſerit,*
*Sepelit, recipitque in ſeſe omnia, omniúmque idem eſt pater.*
*Indidémque eadem, quæ oriuntur, de integro æquè eodem occidunt.*

Hinc & Petronius:

— *Ideo quales fudit de vertice flores,*
*Terra parens, quum ſe confeſſo vinxit amori*
*Juppiter, & toto concepit pectore flammas:*
*Emicuêre roſæ, violæque & molle Cyperum,*
*Albáque de viridi riderunt lilia prato.*
*Talis humus Venerem molles clamavit in herbas.*

*Scriverius poſt Salmaſium* in membranis non *crearet*, ſcriptum

tum reperit; atque hæc ita rectiùs eodem combinari tempore judicavit:

> ——— *copulavit nuptias*,
> *Et pater totis creavit vernus annum nubibus.*

laudátque hanc *Pithœi* lectionem, quâ Æther Vernus pater dicitur, ut *Juvenal. ſat.* 5.

> — *fremeret ſævâ cum grandine vernus*
> *Juppiter.*

Quod deinde *Pithœus* eumdem *Patrem roris* dixerit, illud *Weitzius* recognovit, cùm *apud Pindarum Olymp.* 13. ὕδατα ὄμβρεια παῖδας νεφέλης, aquas pluvias nubis filias nominari inveniſſet.

*Salmaſius* non *roris*, nec *totis*, ſed *totum* in ſuo codice vidit, & integrum hunc locum ita explanavit: Cras, inquit, erit dies, quo primus Æther copulavit nuptias, & ut Pater totum annum creavit, id eſt, totius anni fœcunditatem per vernas nubes auſpicatus eſt. *Annum* dixit, ut initio hujus Pervigilii,

> *Vere natus*, aut *renatus annus eſt*,

& pro anni fertilitate, ut Græci annum plus facere, quàm arvum dicunt: ἔτος ποιεῖ, οὐχὶ ἄρουρα. Quanquam & *totis nubibus creare* non inſulſè, ſed ad illam formam dictum videri queat, quâ *Imperator Galienus* ſponſos *in Epithal.* adhortatus erat:

> *Ite, agite, ô pueri: pariter ſudate medullis*
> *Omnibus inter vos.*

*Totis* pro omnibus, ut *Sidonius:*

> *Ambitioſus hymen totas tibi contulit artes.*

Et *Porphyrius Poëta paneg.* anteà recitato:

> *Urbéſque flore grato*
> *Totis virent plateis.*

Idem:

*Faſtigia tota.*

Quòd prætereà *in ſinum maritus imber fluxiſſe* dicitur, illud *ante Virgilium Lucretius* jam tùm *lib.* 1. *de natura rerum* extulit;

*— — pereunt imbres, ubi eos pater Æther*
*In gremium Matris Terrai præcipitavit.*

Nec non *Columella lib.* x. *de cultu hortorum v.* 204.

*Maximus ipſe Deûm, poſito jam fulmine, fallax*
*Acriſioneos veteres imitatur amores,*
*Inque ſinu Matris violento depluit imbri.*
*Nec Genetrix Nati nunc adſpernatur amorem,*
*Sed patitur nexus flammata Cupidine Tellus.*

Et *Arnobius lib.* 5. Vos Jovis & Cereris coitum imbrem dicitis, telluris in gremium lapſum &c. *Et iterum:* An injuria gravior ulla potis eſt reperiri, quàm terram & pluviam Jovis & Cereris dicere atque adpellare concubitum? & cum Deorum criminibus labem imbris è cœlo, & telluris ſignificare madorem. Ex opinione quidem Scytharum, qui (ut *Herodotus lib.* 4. teſtatur) pluviam nihil aliud eſſe, quàm conjunctionem cœli & terræ credebant. Hinc *Statius* 1. *Silvarum:*

*— — ipſum in connubia terræ*
*Æthera, dum pluviis rareſcunt nubila, ſolvo.*

Et *Alcimus lib.* 1.

*— — largo fœcundans germina potu,*
*Lympha maritavit ſitientis viſcera terræ.*

Citat etiam hoc Pervigilium ſub nomine *veteris Latinæ Poëtæ J. L. de la Cerda ad* 2. *Georg. p.* 337. additque *Claud. Marium lib.* 3. *Rura maritat aquis.* Et lib. 2.

*Tum ſe decoctis tellus pinguiſſima glebis*

*In*

*In fœtus movit varios, quos imbre marito,*
*Parturiens putri diſſolvit rura meatu.*

Accinit *Nonnus* 3. *Dionyſ.* à quo Nilus dicitur ὑγρὸς ἀκοίτης, maritus humidus. Et *Ennodius:*

*Erigitur genio tellus tumefacta marito,*
*Natura in thalamis orbe tepente ſedet.*

*S. Auguſtinus Confeſſion. lib.* 1. *c.* 13. ad Deum ipſum hæc tranſtulit: O virtus maritans mentem meam & ſinum cogitationis meæ, non te amabam, ſed fornicabar abs te, & fornicanti ſonabat undique Euge! Euge!

Cúmque vitium proderet *verſus* 62. malè ambulans: *Ut fletus*, &c. *Lipſius* reſcripſit: *Utque fœtus.* Sed conjunctio copulativa ſententiam non abſolvit; *Salmaſius* igitur, quod vetus codex præferebat, veram lectionem hanc adſeruit:

*Unde fœtus mixtus omnes aleret magno corpore.*

Quod *è verſibus Virg. adlatis* deductum & ipſe voluit.

*Cras erit, quo pr. æ. copulavit nuptias*, ad eum modum dicitur, quo *apud Martialem:*

*Cras te Cæciliane non vocavi.*

Et *Varr.* Cras credo, hodiè nihil: ut & *apud Perſ. ſat.* 5.

*Jam cras heſternum conſumpſimus: ecce aliud cras.*

## Verſ. 62.

*Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu*
*Intus occultis gubernat procreatrix viribus,*
*Perque cœlum, perque terras, perque pontum ſubditum,*
*Pervium ſui tenorem ſeminali tramite*
*Imbuit, juſſitque mundum noſſe naſcendi vias.*]

Semi-

Seminali tramite venas permeans ſpiritus.] Ita *Claudianus de raptu Proſerp. lib.* 2.

> *Compellat Zephyrum: pater ô mitiſſime Veris,*
> *Qui mea laſcivo regnas per prata meatu,*
> *Semper & adſiduis irroras flatibus annum,*
> *In venas diſperge meas & flamine largo*
> *Rura fove.* Et *glebas fœcundo rore maritat,*
> *Quaque volat, vernus ſequitur color: omnis in herbas*
> *Turget humus.*

Quod ſpectat etiam *ad maritos imbres* & *ad verſ.* 14. ubi idem Favonii ſpiritus papillas Veneris inflare & impraegnari titillationéque ſuâ tumorem in iis ad fœtus educendos & educandos aptum excitare dicitur. Nam & *Catullo*:

> *Aura parit flores tepidi fœcunda Favonî.*

Docebat *Empedocles*, mentem ſacram, id eſt, Deum per universa diffuſum vegetare, atque movere omnia. Nam cùm rejeciſſet eorum traditionem, qui Diis humanam naturam adfinxerant, ita deinceps canit, *citante Ammonio ad Ariſtot.*

> Ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ, καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον
> Φροντίσι κόσμον ἅπαντα, καταΐσσουσα θοῇσι.

Nec *Ariſtoteli* quoque 1. *de Philoſophia* temerariè loquutus, ſed præ aliis ſapuiſſe viſus, qui mentem in animalibus, omnique naturâ, ſed & cauſam fuiſſe mundi, totiúsque ordinis dixerit, atque ſic non modò principium rerum hanc cauſam ſtatuerit, ſed talem cauſam, unde motus exſtiterit, vel exſiſtat rebus. Sicuti & *Senecæ* Deus Mens univerſi dicitur. Illa Mens hîc Veneris nomine inſignitur, & nimis mollibus verſiculis *delicatiſſimo auctori* decantatur, ut vult *ingenioſus Barthius ad Claudianum:* niſi potiùs mentem mentis illius dicere lubeat Venerem. *Turnebus ad Lucretium lib.* 19. *adv. c.* 15. obſervavit, non temerè Poëtam illum, cùm de rerum naturâ carmen pangere vellet, à Venere procreationis præſide illud auſpicatum, quòd eam Deam Veteres Vere ad originem rerum, & animalium libidinem incitandam ſolitam eſſe terras & maria

ıaria reviſere, & maritare quotannis crederent. Ex eo :ripſit *lib.* 1.

*— Te Diva tuumque*
*Significant initum perculſa corda tuâ vi.*

'raductus autem eſt iſte locus de mundi animâ *ex Plato-ica ſententia*, vel *à Columella loco cit.*

*— — Nunc ſunt genitalia tempora mundi.*
*Nunc amor ad coitus properat, nunc ſpiritus Orbis*
*Bacchatus Veneri ſtimuliſque Cupidinis actus,*
*Ipſe ſuas adamat partes & fœtibus implet. &c.*
*Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus*
*Ver agit: hinc hominum, pecudum volucrumque Cupido. &c.*

'el *à Virgilio lib. 6. Æneid. v.* 724.

*Principio cœlum ac terras, campóſque liquentes,*
*Lucentémque globum Lunæ, Titaniaque aſtra*
*Spiritus intus alit, totámque infuſa per artûs*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*
*Inde hominum, pecudúmque genus, vitæque volantum,*
*Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquòre pontus,*
*Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo*
*Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.*

am ad rem vide notas *Servianas*, *Arnob. lib.* 3. *adverſ. :nt.* & *Macrob. lib.* 1. *in Somn. Scip. c.* 14. ubi *hic* ait, uòd DEUS unus omnium Princeps ac origo ſuperabun-anti majeſtatis fœcunditate de ſe mentem creârit, quæ 'atrem ſi reſpiciat, plenam ſimilitudinem ſervet aucto-:s, hæc animam verò de ſe creet, poſteriora reſpiciens: uódque rurſus hæc anima partem, quam intueatur, in-uatur, ac paulatim regrediente reſpectu in fabricam cor-orum, in corporea ipſa degeneret. Hanc, animam *ait* abere puriſſimam ex mente, de quâ eſt nata, rationem, uod λογικὸν vocatur, & ex ſuâ naturâ accipere præbendi ensûs, præbendique incrementi ſeminarium, quorum ınum αἰσθητικὸν, alterum φυτικὸν nuncupetur, quæ conve-ıientia ſint caducis, uti primum verè divinum, & ſolis divi-

*Cras an ames? hodie jam ſerum eſt, Poſthume, amare:*
*Ille ſapit, quiſquis, Poſthume, amavit heri.*

Atque *idem Epigrammatarius libro* 1. 15. dixit:

*Non benè diſtuleris, videas quæ poſſe negari,*
*Et ſolum hoc ducas, quod fuit, eſſe tuum.*
*Exſpectant curæque, catenatique labores:*
*Gaudia non remanent, ſed fugitiva volant.*
*Hæc utraque manu complexúque adſere toto,*
*Sæpè fluunt imo ſic quoque lapſa ſinu.*
*Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere, vivam:*
*Sera nimis vita eſt craſtina: vive hodiè.*

Sed tamen, nî fallor, *procraſtinandum* pauliſper *amorem Noſter* putavit, ne pecudum more ſtatim irruamus, quo lubido traxerit. Valebit utique & hîc illud:

*Differ, habent parvæ commoda magna moræ.*

Aliàs enim *juxta Plautum Pœnulo act.* 3. *ſc.* 1. homo amans quicquid agit, properat omnia, imò præcipitat, atque vel ideò ſæpiſſimè

*Errat, & in nullâ ſede moratur Amor.*

*Ovid.* 3. *de art. am.* Εἴη γὰρ καὶ ἐρᾶν καὶ ἔρωτι χαρίζεσθαι κατὰ καιρόν. Fas eſto amare & Amori tempeſtivè gratificari. *Scitum Pindari eſt apud Athenæum lib.* 5. Nec enim de nocte, & ubi vino fortè aliquis oppreſſus, amor occipiendus, ſed in craſtinum differendus eſt. Nocte latent mendæ, omnéſque vaccæ ſunt nigræ, quæ poſteà multis pœnitentiam attraxere; contra de mane conſilium. Id verò *Cn. Mattius* inter veteres eruditiſſimus *in Mimiambis* ſuis intimavit *in corp. vet. Poët. p.* 473.

*Jam jam albicaſſit Phœbus & recentatur*
*Commune lumen omnibus voluptáſque:*
*Quapropter edulcare convenit vitam,*
*Curáſque acerbas ſenſibus gubernare,*
*Sinúque amicam recipere frigidam caldo,*
*Columbatimque conſerere labris labra.*

Verſ. 68.

## Verſ. 68.

*Ipſa Trojanos nepotes in Latinos tranſtulit.*]

Ita *Pithœus* & *Salmaſius*, cùm priùs *in Latino* legeretur: Poſſet quoque ſcribi, nî fallor: *Ipſa Trojanos penates.* Quod verò Venus coloniam Trojanam in Latium duxiſſe hic dicitur, id per filium Æneam feciſſe intelligitur. De quo eſt *Vetus Adonicum* carmen apud *Terentianum Maurum* & *Marium Victorinum* antiquos Grammaticos, *editionis Putſchianæ pag.* 2431. & 2564.

*Troïus Heros,*
*Perdita flammis*
*Pergama linquens,*
*Exſul in altum*
*Vela reſolvit:*
*Sæpè repulſus*
*Auſone terra*
*Mœnia feſſis*
*Sera locavit:*
*Unde Latinum*
*Poſt genus ortum,*
*Altáque magnæ*
*Mœnia Trojæ.* Lege: *Romæ.*

Deſumpti namque ſunt elegantes hi verſiculi è principio ſtatim *Æneidos Virgilianæ*, ubi

*Arma virúmque cano, Trojæ qui primus ab oris*
*Italiam, Fato profugus, Lavinaque venit*
*Littora, multum ille & terris jactatus & alto*
*Vi Superûm, ſævæ memorem Junonis ob iram:*
*Multa quoque & bello paſſus, dum conderet urbem,*
*Inferrétque Deos Latio: genus unde Latinum,*
*Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.*

Conſulantur tamen & *poſtremi libri Æneidos*, ubi diſces quomodo

## Verſ. 69.

*Ipſa Laurentem puellam conjugem nato dedit.*]

Id eſt, Venus ſuo Æneæ Laviniam, Laurentem Regis Latini & Amatæ filiam deſponſavit. *Vid. & Maphæus Vegius*, qui *appendice Æneid.* inter alia ſic loquentem inducit Heroëm illum Trojanum:

*— — Jam finis adeſt, hîc meta malorum*
*Stabit & optatam Latiâ cum gente quietem*
*Jungemus. Dabit inde mihi Lavinia conjux*
*Bello acri defenſa, Italo cum ſanguine miſtam*
*Trojanam transferre æterna in ſecula gentem.*

## Verſ. 70.

*Moxque Marti de ſacello dat pudicam Virginem.*]

Iliam, ut *Dionyſius Halicarnaſſ.* vocat, vel ut *Livius* Sylviam Rheam Veſtalem, Romuli matrem. Quam ſive hiſtoriam, ſive fabulam hirſutis ſuis verſibus *Ennius in annalibus* prolixè deduxerat, veluti de eo quoque *Naſo* 1. *Triſtium* 2. hæc prodidit:

*Utque ſuo Martem cecinit gravis Ennius ore.*
*Facta ſit unde parens Ilia, nempe, leges.*

Per ſomnum verò oppreſſam volunt plerique, ceu *P. Merula Ennii quoque convaſator ad* 1. *Annalem* verſus illos, quos *apud Ciceronem* 1. *de divinatione* reliquos cernimus, eò retulit:

*Excita cùm tremulis anus adtulit artubu' lumen,*
*Talia commemorat lacrimans, exterrita ſomno:*
*Euridicâ prognata, Pater quam noſter amavit,*
*Vires vitáque corpu' meum nunc deſerit omne.*
*Nam me viſus homo polcher per amœna ſalicta*
*Et ripas raptare, locóſque novos. Ita ſola*
*Poſt illa, germana ſoror, errare videbar,*
*Tardaque veſtigare & quærere te, neque poſſe*

Corde

*Corde capeſſere: ſemita nulla pedem ſtabilibat.*
*Exin compellare Pater me voce videtur*
*His verbis: ô Gnata, tibi ſunt antè gerundæ*
*Ærumnæ, pòſt ex fluvio Fortuna reſiſtet.*
*Hæc pater effatus, Germanæ, repente receſſit,*
*Nec ſeſe dedit in conſpectum corde cupitus.*
*Quamquam multa manus ad cœli cærula templa*
*Tendebam lacrimans & blanda voce rogabam.*
*Vix ægro tum corde meo me ſomnu' reliquit.*

Quod carmen *inter Antiquitatis rudera* pluribus explicuimus *è Porphyrione ad Horat. lib.* 1. *Od.* 2.

Sed *Ovidius* 3. *Faſtorum* amœnioribus verſiculis eadem eſt exſecutus:

*Mars quoque inermis eras: cùm te Romana ſacerdos*
*Cepit, ut huic urbi ſemina magna dares.*
*Silvia Veſtalis (quid enim vetat inde moveri?)*
*Sacra lavaturas manè petebat aquas.*
*Ventum erat ad mollem declivo tramite ripam:*
*Ponitur è ſummâ fictilis urna comâ.*
*Feſſa reſedit humo: ventóſque accepit aperto*
*Pectore; turbatas reſtituitque comas.*
*Dum ſedet, umbroſæ ſalices, volucréſque canoræ*
*Fecerunt ſomnos & leve murmur aqua.*
*Blanda quies furtim victis obrepſit ocellis:*
*Et cadit à mento languida facta manus.*
*Mars videt hanc: viſámque cupit; potitúrque cupitâ,*
*Et ſua divinâ furta fefellit ope.*
*Somnus abit; jacet ipſa gravis: jam, ſcilicet, intra*
*Viſcera Romanæ conditor urbis erat.*

Huc facit & *Prudentius lib.* 1. *contra Symmachum v.* 174.

*Etſi Rheæ ſacram laſcivi Martis amore*
*Luſa pudicitiam fluviali amiſit in ulva.*

Quicquid verò noſter hîc de ſua Dea jactitet, rectè tamen *Valer. Max. lib.* 4. *c.* 3. ii demùm penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facilè ſteterit, ubi minimum virium Veneris, pecuniæque cupido ſibi vindicaverit.

Verſ. 71. *Lipſius:*

*Romuleas ipſa fecit cum Sabinis nuptias,*
*Unde Rhamnes, & Quirites, proque prole poſterûm*
*Romuli, patrem crearet, & nepotem Cæſarem.*]

Quorum verſuum argumento *eadem Belgica Siren* carmen hoc Trochaicum in imperio Auguſti natum comperit, & quidem ſub extrema ejuſdem Imperatoris tempora, atque poſt Virgilium. Pater enim hic Cæſar D. Julius eſt, nepos Auguſtus. Quæ ipſæ tam quæſitæ blanditiæ quomodo convenient, (*addit porrò Lipſius*) niſi in hoc ævum? Venus, inquit, conciliatrix fuit Romanorum, Sabinarúmque nuptiis, quas Romulo jam tùm regnante, (unde *Romuli mater* nequaquam hinc nata dicetur, vel legetur) junxit, ut ex iis Rhamnes & Quirites crearet, & in poſtera ſecla utrumque Cæſarem, patrem cum nepote propagaret.

*Rhamnes* quid ſint, *apud Commentatores Horatianos*, *Acronem* præſertim, lege ad iſtud *in arte Poëtica:*

*Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes.*

Id eſt, Equites & Nobiles Romani, diſtincti à Quiritibus, quorum nomen vulgus etiam promiſcuum complectebatur. Cùm enim Romanorum & Sabinorum gens, quæ Curibus degebat, miſceretur, uno nomine *Quirites* omnes adpellari cœperunt, *Livius lib.* 1.

*Scriverius*, tametſi legeretur in omnibus, atque adeò in ſuo quoque MSc. *Romuleas*, nec damnare prorſus illud poſſet, ipſi tamen concinnior & potior viſa hæc lectio, exigente ita ſententiâ:

*Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem*
*Romulúmque: cum Sabinis ipſa fecit nuptias.*
*Unde ſanguis & Quirites, perque prolem poſteram*
*Romuli, mater creavit & nepotem Cæſarem.*

Id

Id eſt, Venus Marti & de concubinâ & filio proſpexit, atque huic iterum Romuleo ejus populo de conjugibus: unde genus & ſtirps civium Romanorum non modo continuata, ſed & eâdem ſerie eadem benigna mater Venus Cæſarem quoque per poſteritatem Romuli procreavit. Sed quum ipſemet *Scriverius* immane ſuum & vix immune futurum facinus fateatur, quódque hæc lectio licèt veriſimilis, non tamen vera ſit: Maneant igitur in ſtatu ſuo priſtino illi ipſi verſiculi, vel ſanè *Lipſii* amplexanda erit emendatio.

*Romuleæ* quoque *nuptiæ* non veræ erant, ſed innuptæ nuptiæ, quia nec velato capite nuptæ nuptialiter fuerant Sabinæ: Sed commune iſtud olim fuit omnis coitus vocabulum, non tantùm legitimi ac juſti. *Paulus ex Feſto*: Pellicem, quæ uxorem habenti, nubebat. Et *ſuprà v.* 3.

*Vere nubunt alites.*

Quemadmodum quidem *Joſias Mercerus Pervigilium hoc noſtrum Venereum* jam citavit & explicavit *ad Nonium p.* 128.

*Sabinæ* quoque à ſeveritate & caſtitate celebres, non proſtituti pudoris conciliavit Romanis ſuis Venus uxores. Quâ de re *Livius* inſpici poterit, & *Juvenalis* eaſdem quoque tangit:

*Sit formoſa, decens, dives, fœcunda, vetuſtos*
*Porticibus diſponat avos, intactior omni*
*Crinibus effuſis bellum dirimente Sabina,*

Et *Martialis lib.* 1. *Epigr.* 3.

*Caſta nec antiquis cedens Lævina Sabinis,*

quas & *lib.* 9. *Epigr.* 41. caſtas, & *lib.* 11. *Epigr.* 16. horribiles, ſimplicéſque *lib.* 10. *Epigr.* 35. vocavit.

Quod verò tantopere *Cæſaribus* adulati fuerint Poëtæ, tam *C. Julio*, quam *Auguſto adoptato illius nepoti*, ejus rei anſam prior ipſemet ſubminiſtravit amplam. Sic enim *Suetonius Tranquillus in vita Julii* narrat, eum adhuc Quæſtorem Juliam amitam ſuam defunctam pro more laudâſſe è roſtris, in cujus laudatione de ejus ac patris ſui utraque

 ori-

origine ſic ait retuliſſe, veluti non ad verbum modò, ſed & ad verſum primus jam referam:

*Amitæ meæ maternum genus ab Regibus*
*Ortum eſt: paternum cum Diis immortalibus*
*Conjunctum. Ab Anco Martio ſunt Martii*
*Reges enim, quo nomine huic mater fuit;*
*A Venere Juliæ hujus' gentis familia eſt.*
*Noſtro ergò generi ineſt & Regum ſanctitas,*
*Qui plurimùm inter homines pollent, & Deûm*
*Cærimonia, in quorum poteſtate hi regunt.*

Quod poſteà alii adripuere, & illum ipſum Julium poſt necem, cùm ſtatim Cometes adparuiſſet, inter ſidera & Deos collocârunt, atque familiam Juliam conſecrârunt. Sic *Manilius lib.* 1.

*— — Venerisque ab origine proles*
*Julia deſcendit cœlo cœlúmque replebit,*
*Quod regit Auguſtus ſocio per ſigna Tonante.*

## Verſ. 74.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*]

Multos quidem à connubio & amore legitimo abſterret, quod neſciant, quid veſper ſerus craſque vehat, quóque modo ſe cum familia alere debeant: Quibus *Prudentius Pſychom, verſ.* 615. regerit:

*Nec te ſollicitet res craſtina, ne cibus alvo*
*Defuerit: redeunt eſcæ cùm Sole diurnæ.*
*Nonne vides, ut nulla avium cras cogitet, ac ſe*
*Paſcendam, præſtante Deo, non anxia credat.*

Id quod & *ſequens ſtropha* ſignificare videtur, ubi verè communis mater & nutrix terra, Deo ſic jubente, omnes alere, fovere & educare, atque propagare quoque cernitur, non homines modò, ſed & bruta animalia, atque lætum alitum genus, ceu *ultimâ* tandem *ſtrophâ* concluditur. Hinc *Ovidius Faſtor*, 1.

*Nunc*

*Nunc fœcundus ager: pecoris nunc hora creandi,*
*Nunc avis in ramo tecta Larémque parat.*

## Verſ. 75.

*Rura fœcundat voluptas: rura Venerem ſentiunt.*]

Omnes quidem ita communiter præter *Scriverium*, qui poſuit:

*Rura fœcundat voluptas, Venerem rura ſentiunt.*

Sed vel in iſta regione *Venerem* relinquamus anapæſto, aut filium ipſius juſto trochæo ſuccenturiemus:

*Rura Amorem ſentiunt.*

Utpote cùm vel ipſe Amor poſt terram conditam ſtatim ex illa natus feratur, ut nutu ſuo prodit, qui imminet.

## Verſ. 76.

*Ipſe Amor puer Dionæ rure natus dicitur:*
*Hunc ager, cùm parturiſſet ipſa, ſuſcepit ſinu,*
*Ipſa florum delicatis educavit oſculis.*

Legente ita & diſtinguente *Lipſio*. Quaſi de Venere puerpera Cupido ſtatim à terrâ velut à nutrice exceptus eſſet, ut Bacchus à Nymphis. Quò ipſo obiter inſtillaretur iſtud, quod in more priſcis ſæculis fuit poſitum, natos infantes protinùs in terram ſtatui, & quaſi cadere operâ obſtetricum, ut cœlum ſuſpicere inciperent & caſu terrenæ calamitatis primordia libarent. *Statius lib.* 1. *Sylvarum* etiam Venerem ita fabulantem *in Epithalamio Stellæ* introducit *verſ.* 111.

*— Tellure cadentem*
*Accepi fovique ſinu.*

*Macrobius lib.* 1. *Saturn. cap.* 12. Fatuam vocatam notat,

 quod

quod infantes partu editi non priùs vocem edant, quàm terram adtigerint. *Videatur Forcatulus in Cupidine Juriſperito cap.* 21.

Mihi tamen verſus 77. lectio vulgata probatur magis;

*Hunc ager cùm parturiret, ipſa* (Venus) *ſuſcepit ſinu.*

Ex illo namque *Maroniano* (ceù vocavi) archetypo expreſſum:

*Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris*
*Laxant arva ſinus.*

Quippe non *Sappho* modò *Poëtria* Cupidinem cœli terræque filium exiſtimavit, ſed & *Heſiodus in Theogon. principio*, atque *Ariſtophanes in Avibus* eumdem Deorum pulcherrimum & ſplendidiſſimum, ſtatim poſt Chaos & terram, ex eâdem, vel ab eâdem poſito Zephyrio ovo prognatum fuiſſe, ipſúmque cum Chao miſtum, omne Deorum genus ex illo excitâſſe tradiderunt. Quo de *Cœlius Rhodiginus lib.* 16. *cap.* 25. adde *Platon. in convivio pag.* 1179. *C. Themiſtium orat.* 7. *pag.* 176.

## Verſ. 79.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

Ordine haud injucundo à genere ad ſpeciem, & ſemper ad ſpecialiora, atque tandem ad ſingula animalium genera, & tantùm non ad individua, ſceptrum Veneris & Amoris prono capite adorantia, progreditur *Auctor* noſter.

*A verſu* namque 61. *ad ſequentem ſtropham* imperium cœli, terræ & maris cùm ipſi tribuiſſet; *inde* quantum in ipſa Orbis Domina Roma ſemper & ſingulis quaſi temporibus priſco, meliori, & auguſto vel Auguſteo valuiſſet Venus, diſertiſſimè nunciavit. *Mox*, urbe relictâ, *in ſtropha penultima* rus ſe contulit, in primam Cupidinis incunabulis nobilem ſedem & primariam ſemper aulam. *In extrema verò parte hac* ab arvis ad prata & ſilvas iterùm digrediens, ſummatim tandem Veneris atque Amoris potentiam per ſingu-

la definire, atque illud *Virgilii* 3. *Georg. verſ.* 242. inculcare voluit:

*Omne adeò genus in terris hominumque ferarûmque,*
*Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres*
*In furias ignémque ruunt:* AMOR OMNIBUS IDEM.

## Verſ. 80.

*Ecce jam ſuper geniſtas explicant agni latus.*]

*Aut ego me amo, aut Phœbus me amavit, cùm ſic correxi,* infit *Lipſius*. Nec ſanè ſignificantiùs exprimi potuit decubitus ille ovium in latus quaſi apricantium. Id enim ſolent ſuper geniſtas, myricas & humiliores frutices.

*Salmaſius* neque *agnos*, neque *hœdos* hîc recipit, quod verbum *explicare* non convenire videatur minutis animalibus: (*Addo*) multò minùs apricationi præviæ venereæ copulæ & conjugalis fœderis, de quo hîc ſermo. Vetus ſcriptura cùm haberet TAONII vel TAORI, ceu N. & R. ſæpè permutantur, TAURI utique legere viſum *Pithœo*, impenſè quoque favente *Salmaſio*. *Scriverio* tamen pro *tauris* VACCÆ præponderârunt, juxta illud *Calpurnii Ecl.* 1. iiſdem prorſus verbis:

*Cernis, ut, ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ.*
*Molle ſub birſuta latus explicuere geniſtâ.*

Quæ ipſa geniſta frutex eſt, quem incubitu ſuo premere *agnus & hœdus* haud in proclivi poſſit, notante quoque *Salmaſio*. *Barthius* nihilominùs *ad Calpurnii locum* poſtquam citâſſet & hunc *Pervigilii* verſum, in lectione *Lipſii* nihil immutandum cenſuit, uti nec *Taubmannus ad Culicem*; utrique AONI ſervati.

## Verſ. 81.

*Quiſque cœtus continetur conjugali fœdere.*]

Non placet hîc *Salmaſii* illud:

*Quiſque tutus continetur.*

Eóque minùs *Scriverii* impurum *udus*, quod vel ipſum explicare puduit. Amplectimur igitur illud, quod hîc *Lipſius* iterùm *cum Pithœo*; quorum poſterior quum videret, ſingularem ſequi enumerationem, & repetitâ particulâ (*ecce!*) particularem indicationem, quinam cœtus conjugali fœdere contineantur, taurorum & vaccarum, ovium & arietum &c. itaque paulò generaliorem hunc verſiculum præponi, atque *verſûs* 80. & 81. ita permutari juſſit:

*Quique cœtus continetur conjugali fœdere:*
*Ecce jam ſuper gen. explicant tauri latus.*

Et ſic meliùs ſtatim conjungetur cum ſequenti

## Verſ. 82.

*Subter umbras cum maritis ecce balantum gregem!*]

*Virgil.* 1. *Georg.*

*Balantúmque gregem fluvio merſare ſalubri.*

Atque *idem Eclog.* 7. eâdem metaphorâ uſus: *Vir gregis ipſe caper.* Quâ & *Theocritus* τράγον ἀνέρα τᾶν αἰγᾶν, & *Horatius* 1. *Oda* 17. olentis mariti uxores capras dixerat. Et *Maro* 1. *Georg. de admiſſario:*

*Quem legêre ducem pecori & dixere maritum.*

Cæterùm hîc ſubjungi & connecti deberet *triga illa trochaïcorum, ab Hieronymo Groſlotio Douzæ communicatorum:*

*Ecce paſſeres ſalaces, ecce rauci turtures*
*Hâc ſuper virente myrto nos amoris admonent.*
*Cum puellis dulce inire veſti-contubernium.*

Niſi *Salmaſius cum Scriverio* manifeſtum mangonium prodidiſſent, & ab eo procuſum qui primus edidiſſet, pari modo, quò *M. Antonius Muretus civis Romanus Joſepho Scaligero*, & exinde *Rittershuſio* fragmentis duobus, *Trabeæ* & *Accio* veterum Scenicorum adfictis, pridem impoſuit.

Et

t *Trabeæ* quidem *Comici* nomine *è Philemone*, vel *è Menandro* ſecundùm alios, Εἰ τὰ δάκρυ' ὑμῖν &c. tranſlatum ita abet:

*Here, ſi querelis, ejulatu, fletibus*
*Medicina fieret miſeriis mortalium,*
*Auro parandæ lacrumæ contra forent.*
*Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent,*
*Quàm nænia præficæ ad excitandos mortuos.*
*Res turbidæ conſilium, non fletum, expetunt.*

lterum *Accio ex Oenomao* adfictum *à Mureto:*

*Nam ſi lamentis adlevaretur dolor,*
*Longóque fletu minueretur miſeria,*
*Tum turpe lacrumis indulgere non foret,*
*Fractáque voce Divûm obteſtari fidem,*
*Tabifica donec pectore exceſſet lues.*
*Nunc hæ neque hilum de dolore detrahunt,*
*Potiúſque cumulum miſeriis adjiciunt mali,*
*Et indecoram mentis mollitiam arguunt.*

ed in orbitam & ad lychnos noſtri *Vigilis:*

## Verſ. 82.

*Et canoras non tacere Diva juſſit alites.*]

[am quod *ad verſ.* 2. ſuprà adduximus, merito ſuo *er canorum* & vocale propter aves loquaculas, ſuperatâ ingui veluti hieme, indigitatur. *Venant. Fortun. hymno ſchali:*

*Ad cantus revocatur avis, quæ carmine clauſo,*
*Pigrior hiberno frigore, muta fuit.*

t *Manilius lib.* 3. *ſub finem* tempus hoc amœniſſimum & ſe in theatrum producens, eumdem hunc *verſum* 82. & *ntegreſſos* ita circumloquitur:

*Tunc pecudum volucrúmque genus per pabula læta*
*In Venerem partúmque ruit, totúmque canorâ*

*Voce*

*Voce nemus loquitur, frondémque vireſcit in omnem.*
*Viribus in tantum ſegnis natura movetur.*

E quo loco percipitur quoque, quod jam ſequitur:

## Verſ. 83.

*Jam loquaces ore rauco ſtagna cygni perſtrepunt.*]

Quod tamen è *Virgil.* 2. *Æneid. v.* 458. ductum eſt:

*Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cygni.*

Ubi *raucus* in bonam partem accipitur *juxta Servium*, & explicatur quoque *à Camerario* ὑπομ. *dec.* 5. *c.* 1. De cantu porrò cycnorum multi multa, cumprimis *Gentilis* adeundus & audiendus *ad Bucolica Virg.* Quemadmodum verò *Auctor* hîc *Noſter*, quando generatim cum *Calpurnio Ecl.* 5. præmiſiſſet:

*Incipiant quòd Vere novo tinnire volucres;*

ſpeciatim cycnum, & philomelam cum ſorore ſubdidit: ita *Auctor carm. de Vere fine lib.* 1. *Anthol.*

Πάντη δ' ὀρνίθων γενεὴ λιγύφωνος ἀείδει,
Ἀλκύονες περὶ κῦμα, χελιδόνες ἀμφὶ μέλαθρα,
Κύκνος ἐπ' ὄχθαισιν ποταμοῦ, καὶ ὑπ' ἄλσος ἀηδών.

Quod *Vincentio Opſopæo* vertente eſt;

*Et modò dulcicanum reſonat genus omne volucrum,*
*Halcyones circum flumina curva vagæ.*
*Garrula formoſis ſub tectis cantat hirundo,*
*In ripis cygnus & philomela rubis.*

Nullus hîc corax procraſtinator, aut quæ moveat cornicula riſum, aut ſimiles nigræ & ſiniſtræ aves audiuntur, quæ peſſimè apud Venerem audiunt.

Λωΐτερος κύκνων μικρὸς θρόος, ἢ κολοιῶν
Κρωγμὸς ἐν εἰαριναῖς σκιδνάμενος νεφέλαις.

Verſ. 85. *Pithœus* eleganter *Lipſii* ſententiâ:

*Ad-*

*Adſonant Terei puellæ ſubter umbram populi.*]

Id eſt, Luſciniæ & hirundines ſub arborum tegmine per noctem, & præcipuè manè cantillant. Non temerè igitur ad hoc Pervigilium Veneris adducuntur. Nam ut hirundo ὀρθρογόη, *manè lugens* Pandionis, *Heſiodo* nuncupatur: ita Luſcinia, *ut apud Ambroſium legere eſt*, pervigil cuſtos, cum ova quædam poſita corporis gremio fovet, inſomnem longæ noctis laborem cantilenæ ſuavitate ſolatur, quò poſſit non minùs dulcibus modulis, quàm otu corporis ova animare. Id quod *apud Pithœum auctor Philomelæ* pedibus devinxit. *Plutarchus item de ſolertia animalium* quærit, quæ muſica luſciniarum, quæ hirundinum induſtria (ſcil. matutina) comparari poſſit. Adſonant autem hæ aves prolectante verno tepore & Venere. Nam & *Plato in Phæd.* animadvertit, avem nullam canere, cùm eſurit, aut friget, aliove quopiam doloris genere adficitur, non ipſam luſciniam, non hirundinem, non upupam, quas ajunt præ dolore canere. *Eæ ſunt Philomela, Progne & Tereus.* De quibus *Pauſanias lib.* 1. ſeu *in Atticis* hiſtoricam veritatem ex ipſâ fabularum caligine eruens, & metamorphoſeos rationem illuſtriùs reddens ſcribit, quod Tereus, cui Progne Pandionis Athenarum Regis filia nuptui data fuerat regnârit Daulide ſupra Chæroneam, & poſt adlatam Philomelæ vim & interemtum à mulieribus Ityn ſibi manus intulerit, in ejúſque tumulo primùm Upupa viſa ſit: quódque mulieres, cùm Athenas confugiſſent, præ luctu & mœrore, ob ea, quæ paſſæ fuerant, contabuerint. Unde vulgata de iis fuerit fabula, alteram in luſciniam, in hirundinem alteram mutatam, quod avis utraque miſerabiles & luctuoſos cantus edat. Et conjunguntur ſanè hæ ſorores à *Sidonio* quoque *Apollinari lib.* 2. *Epiſt.* 2. *pag.* 33. diluculo autem Philomelam inter frutices ſibilantem, Prognen inter aſſeres minurientem auribus inſonare, quàm volupe eſt! Quem ipſum tamen ob locum verior *Salmaſii* viſa h. l. ſcriptura *è Vet. Cod.*

*Adſonat Terei puella ſubter umbram populi.*

Eámque lectionem omninò recipiendam eſſe ſequentia docere

cere voluit *Scriverius*. Terei namque conjux Progne *verſu* 87. ſuccedit, ſed hujus ſoror Philomela virgo (*puella Terei* quoque *Martiali*, ut jamjam ſequetur, cognominata) ab eodem Barbaro inceſtuosè vitiata præmittitur. Utque illa hirundo ὑπωρόφιος tectorum laquearibus & cameratis aſſeribus trabibúſque & inter homines converſari gaudet: ita hæc Philomela, *juxta Homerum*, Δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν fruticum & arborum, cumprimis autem *populi* denſis delectatur *umbraculis*. Quod & *Virgilius*, quem Noſter ſemper ſequitur, *lib*. 4. *Georg*. obſervavit:

*Qualis* populea *mœrens Philomela* ſub umbrâ
*Amiſſos queritur fœtus*. — —

Et *Veſpaſianus Strozius Erot. lib*. 6.

*Æmula divini ſuaviſſima carminis ales,*
*Fingis in adventu carmina mille meo.*
*Nec procul hinc denſis canis abdita frondibus altæ*
*Ilicis in ramo, populeiſve comis.*

Quare *Ovidius* in ipsâ fabulosâ tranſmutatione *lib*. 6. *fab*. 7. de iſtis Terei extorribus fœmellis canit:

*Altera tecta ſubit quarum, petit altera ſilvas.*

Quod ἄδηλον illud de Vere citato jam tum *v. ad* 82. comprobavit ex *Rittershuſii* verſione:

— — *Vaga tecta fatigat hirundo*
*Littora olor, ſilvæque umbras reſonantis aëdon.*

Exinde & ego aliquando utriuſque mythologiam epigrammate ſic ludebam; cùm *metamorphoſin Ovidianam* emblematis hujuſmodi includerem:

*Quòd Pandioniæ Terei feritate ſorores*
*Verſæ in aves; & amant hæc nemus, illa domos:*
*His Oratorum latet ars, germanáque Vatum:*
*Garriat iſta foro, dum canat illa Diis.*

In

ſecreto, ſcil. & ſeceſſu aliquo Silveſtri ſibi Muſiſque
acens, habitârunt (enim) Dii quoque ſilvas, queîs
ɔëtæ & luſciniæ juxtà gaudent. Unde *Martialis lib.* 1.
*pigr.* 53.

*Sic ubi multiſonâ fervet ſacer Attide lucus,*
*Improba Cecropias effundit pica querelas.*

## Verſ. 86.

*Ut putes motus Amoris ore dici Muſico.*]

dhuc quidem de luſciniâ ſolâ ſermo eſt, nec enim hirun-
nina garrulitas tam muſicalis, támque amabili flexu mo-
lis videri cuiquam poterit. Ut vel hinc quoque lectio
a *Salmaſii* in præcedenti verſiculo magis adſeratur. Et
ıamvis illi lingua præſecta priùs fuerit, tamen *ore* ſuo
ınc adeò *dicacula* eſt, ut verè de illâ, neſcio quis, ce-
nerit:

*Quam natura dedit linguam, Philomela, reciſa eſt,*
*Aſt aliam illius Dî tribuêre loco.*
*Nunc hominum dulceſcit enim benè flexilis auri,*
*Quâ nihil in cantu dulcius Orbis habet.*

ed breviùs & meliùs *Epigrammatarius lib.* 14. 75. *in*
*ſciniam.*

*Flet Philomela nefas inceſti Tereos, & quæ*
*Muta puella fuit, garrula fertur avis.*

Φθογγὰς ἱεῖσα πάσας, ὡς ἀηδονίς.

ıquit *Euripidea Hecuba actu* 2. & *Vives:* Quid mirum dul-
iter eam garrire, quæ ſit Attica, ubi etiam fluctus maris
on ſine numero adliduntur littori.

Tametſi verò non injucundè de Philomelâ hîc legatur,
am motus Amoris ſeu adfectus amantium ore facundo
diſſerere, & varietate ſonorum totius artis Muſicæ, va-
ietatem quoque humorum & perturbationum exprimere:
a ut nunc continuo ſpiritu in longum æquabiliter ſine
ıutatione trahat, nunc inflectat vocem: jam minutiùs &
con-

conciſiùs cantillet: nunc intorqueat & quaſi criſpet vocem: nunc extendat, jam revocet vocem: aliàs longos concinat verſus quaſi heroicos; aliàs breves, ut ſapphicos; interdum breviſſimos, ut Adonicos, animadverſore *J. L. Vives exerc. lat. ling. dial. veſt.* Exinde tamen neſcio profectò, annon longè ſuaviùs hi duo verſiculi continuatâ allegoriâ ita combinari & corrigi debeant:

*Adſonat Terei puella ſubter umbram populi,*
*Ut putes modos Amoris ore duci Muſico.*

Quaſi hæc unica avicula omnes Archiphonaſci ſui Cupidinis *modulos* adeò *ductitet* artificialiter, ut non tam voce illam, quàm fragili quâdam dulcedine criſpantes ſibilos corneis edere organulis *cum Fulgentio mythol.* autumes: vel potiùs ab unâ hâc perfectæ muſicæ ſciente ave modulatum edi ſonum quemcunque, plenum, gravem, acutum, crebrum, extenſum, vibrantem, ſummum, medium, imum, atque adeò præmonſtratam omnem hominibus artis hujus ſuavitatem *cum Plinio* non dubites:

Ἀγχίςροφον γὰρ τὴν βοὴν διαπλέκει
Καὶ γαργαλισμοὺς ὀργανοῖ κεκλασμένους
Ἐν τῷ σὺν ἀκμῇ γλυκυθρόου μουσουργίας.

Scribit *Philes de aëdone*, quod *Berſmannus* ita effatus eſt:

*Verſatilem nam cantuum nectit ſonum,*
*Fractáſque titillationes fabricat*
*Peritiâ artis ſingulari Muſicæ.*

Idem & *Anonymus* quidam, non inamœnus tamen Poëta, *apud Pithœum in prætermiſſis collectionis Epigr. vet. pag. 607.* cum Luſciniâ colloquens ſenſit:

*Sum noctis ſocia & ſum cantûs dulcis amica,*
*Nomen ab antiquo ſic Philomela gero.*
*Vox Philomela tuæ & citharas in carmine vincit,*
*Et ſuperat miris Muſica flabra modis.*

Nec ambigo, quin *ab auctore priore Philomela*, qui falsè

cre-

creditus fuit *Ovidius*, unum & alterum ille traxerit, quando hîc ita incipit:

*Dulcis amica veni noctis ſolatia præſtans:*
*Inter aves etenim nulla tibi ſimilis.*
*Tu, Philomela, potes vocum diſcrimina mille*
*Mille potes varios ipſa referre ſonos, &c.*

*J. Gruterus* quoque *lib.* 3. *Eleg.* eamdem ivit viam:

*Tu quoque, tu volucrum princeps, Philomela, quod olim*
*Innumeris numeris es meditata melos.*

Ut verò ita *verſum hunc* 86. reſcriberem, *Paulinus in natali Felicis VII.* ante cæteros ſtimulavit, qui ſic Philomelam commendat ex correctione *maximi & amiciſſimi noſtri Barthii adverſ. lib.* 6. *cap.* 18.

*Unicolor plumis ales, ſed picta loquelis,*
*Nunc teretes rotat illa* modos, *nunc ſibila longis*
Ducit *acuta ſonis, rurſum quaſi flebile carmen*
*Inchoat, & ſecto præcidens fine querelam*
*Attonitas rupto modulamine decipit aures.*

Quos ipſos Philomelæ modulatiſſimos modulos omnibuſque numeris abſolutam Muſicam ad vivum auribus noſtris adſonantem repræſentavit *Plinius lib. X. Hiſt. Natural. cap.* 29. Quem legens, *Erythræo ad Virgil. vade*, ita lætaberis, ut non Plinium, ſed Luſciniam ipſam in Luſciniæ deſcriptione te audire exiſtimes. Eámque carmine ſecuti Muſis non invitis *Nathan. Chytræus in auctario Maji*, & *Janus Tagautius parte* 3. *Gallic. Poëtar. à Ranutio Gero, vel potiùs Jano Grutero collectorum.* E quo poſteriore quædam huc pertinentia exſcribamus:

*Noctes atque dies arbuſta quoque integra cantu*
*Luſciniæ rumpunt: tam parvo in corpore tanta*
*Vox ſonat & grandi queritur tua crimina luctu,*
*Barbare Thrax. Queſtus dedit hancque injuria vocem,*
*Quam modò continuam lacrimoſo gutture mœrens*
*In longum trahit, inflexam modò murmure lento*
*Multiplici variam gemitu variátque rotátque*

*Arguta: intortam ſollers modò copulat, aut nunc*
*Conciſam premit, ac brevibus diſtinguit epodis:*
*Nunc denſum, nunc grande ſonat, nunc tinnit acutum,*
*Crebra gemens, nunc ad medias adſurgit ab imis*
*Vocibus: hinc ſummas validis modò vibrat & urget*
*Spiritibus. Mox deinde ſilens, ſimiliſque dolenti*
*Infuſcat vocem, tacitiſque immurmurat umbris.*
*Mox fractos inter gemitus, iterùmque cadentes*
*Integrat & pleno revocat ſua carmina queſtu;*
*Prolixam intendens animoſis vocibus auram:*
*Unaque tot lituos tormentaque Muſica vincit*
*Garrula nativiſque modis & ſimplice voce.*

Atque hæc eadem inſtrumenta, ſeu ut *Plinius* quoque vocavit, tormenta muſica miris modis temperata, erranti quaſi digito perculit *Venantius Fortunatus hymni toties commendati verſ.* 30.

*Hinc Philomela ſuis attemperat organa cannis,*

ſed & ſonum quoque in aëre refractum, acutè finxit:

*Fitque repercuſſo dulcior aura melo.*

Quod ipſum propriè eſt *adſonare*, ut *echo* ſolet. Quo loco nec me, nec calamum continere poſſum, quin *Petri Lotichii Solitarienſis* argutiſſimum de Philomelæ muſico cum ſui vociſque imagine inito certamine adſcribam figmentum:

*Dum ſedet ac dulces iterat Philomela querelas,*
*Pendula quâ vitreas arbor opacat aquas;*
*Alitis effigiem ſubjectis ſpectat in undis,*
*Blandaque vicinis vox redit icta jugis.*
*Illaque dum queritur, ſimul ipſa videtur imago*
*Æmula ſub ramo dulce virente queri.*
*Dum ſtupet & verè volucrem putat eſſe quod umbra eſt,*
*Et ſibi divini carminis arte parem.*
*Perſtat & invidiâ mœrens tabeſcit inani,*
*Certa, niſi vincat, victa dolore mori.*

Omnia

*Omnia depromit diſcrimina gutturis, omnes*
*Elicit, innumeris flexibus uſa, modos.*
*Poſtremò multas fruſtrà dum certat in horas,*
*Séque repercuſſo decipit ipſa ſono.*
*Unguibus, & roſtro ſimulacrum invadit, & alis,*
*Inque necaturas inſcia fertur aquas.*
*Vidit, & exanimem vicino ceſpite texit,*
*Triſte genus lethi commiſeratus, Acon.*
*Addidit & titulum: Falſus quam perdidit error,*
*Daulias hîc viridi conditur ales humo.*
*Infelix fatum! Quæ laudis tanta cupido eſt?*
*Fallor, an & miſeras nos imitamur aves?*

łaud malè quoque *motus Amoris duci ab ore muſico* exiſti-
ıandum eſt, quod de Hercule & Orpheò tritum eſt. Ceu
gregiè quoque declarant pauci quidam *veteris cujuſdam*
*'briſtiani verſiculi*, quos in calce MSc. *Climacis ſeu ſcalæ*
*'oannis Axiagaſti* (qui inde vulgò *Climacus & Sinaita*,
uòd in eo monte Abbas fuiſſet, cognominatur) Libra-
ius adſcripſerat:

Ἡ Μυσικὴ μὲν Ὀρφέως πάλαι λύρα·
Ἕλληνες ἣν ἔφησαν οἱ Μυθογράφοι
Ἅπαντα τοῖσι κρύσμασιν ἕλκειν ἀθρόως,
Καὶ θαῦμα ταύτην μεῖζον εἶναι θαυμάτων.

## Verſ. 87..

*Et neges queri ſororem de marito barbaro.*]

'rognen, ſcil. Philomelæ ſororem. Quamvis enim pluri-
ıùm cauſæ habere videatur ejulandi & querulandi de con-
ıge tam immani, tam inceſtuoſo, & verè barbariſſimâ
'hracum gente oriundo; attamen lætari potiùs, &, quòd
apſa ſit, jubilare eam dixeris. Niſi quis & hîc quoque
: Philomelâ adhuc continuari putet ſermonem, ut *apud*
*'atium Papinium* graviſſimum Poëtam *lib.* 2. *Silv.* inter
'es humanum ſermonem conantes, non hirundo, ſed
ſcinia poni merita fuit;

*Et quæ Biſtonio queritur ſoror orba cubili.*

Hoc certum eſt, non ſatis liquere ex fabulâ, in quaſnam aves hæ ſorores mutatæ fuerint. *Homerus Odyſſ. T.* narrat, quòd Aëdon Pandarei (quem Latini Pandionem vocant) filia, vere novo in arborum denſis foliis ſedens, atque frequenter vocem perſonantem verſans, filium lugeat Itylum, quem alii Ityn vocant.

> Ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν
> Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον. —

Cujus opinioni & *Ovidium in Epiſtola Sapphûs* ſuffragari ajunt:

> *Sola virum non ulta piè mœſtiſſima mater*
> *Concinit Iſmarium Daulias ales Ityn.*

Atque *idem* rurſus *ad Liviam*, vel veriùs *Pedo Albinovanus de morte Druſi:*

> *Deflet Threicium Daulias ales Ityn.*

*Probus* quoque, non reprobus Virgilii interpres, prodidit Prognen in Aëdona, id eſt, in luſciniam, & Philomelam in Chelidona, ſive hirundinem fuiſſe mutatam: id quod *Ariſtotelis* teſtimonio 2. *Rhetor.* fulcitur, ubi hirundo è Philomelâ virgine facta narratur; & *à Varrone lib.* 4. *de Lat. Lin.* adfirmatur, ubi luſciniola luctuosè canens, ex Atticâ Progne in luctu facta àvis dicitur. Chelidoni quoque ſeu hirundini linguam exſectam à Tereo *Anacreon carm.* 12. meminit. Nec *Virgilius* abluſiſſe videtur *in Sileno:*

> *Aut ut mutatos Terei narraverit artus;*
> *Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit,*
> *Quo curſu deſerta petiverit, & quibus antè*
> *Infelix ſua tecta ſupervolitaverit alis.*

*Atqui hoc Progne fecit*, ait *Servius in Bucol.* ubi *Erythræus:* rectiùs quidem dixiſſet: *Atqui hoc pariter cum Progne fecit:* Nam & *apud Ovid. lib.* 6. *Metamorph. fab.* 7.

> *Enſe ferit Progne, jugulum Philomela reſolvit.*

Et

poſt:

— *Ityóſque caput Philomela cruentum*
*Miſit in ora patris.*

iſimilius tamen eſt, magiſque receptum, Philomelam
ıui nominis avem, hoc eſt, in luſciniam, cujus Muſi-
ıihil amabilius, verſam fuiſſe, ut ſcribit *Sabinus Inter-*
*Ovid.* additâ ratione, quòd hæc inter canendum cre-
has voces edat: ΤΗΡΕ´ΥC ΓΛΩ´ΤΤΑΝ, conquerens
Tereo, quòd amputârit linguam: ſicuti Tereus in *U-*
*m* mutatus, fertur, uxorem cum ſorore perſequens,
uaſi adhuc filium quærens: ΠΟ´Υ ΠΟ´Υ, *ubi ubi* ſit cla-
ıre. Progne verò filium lugens miſerabiliter ſonare:
: ἼΤΥ, (qui Ἴτυς ſeu Phaſianus eſt pollutarum men-
m *juxta Pauſaniam in Phoc.* maledictum exordium.)
: ipſa *Varinus ex Scholiis Ariſtophanis*, & poſteà *Ery-*
*us* atque *Sabinus* transſcripſerunt.
uicquid ſit, maxima injuria Philomelæ illata eſt à Te-
verè propriéque barbaro, quare & illa magis, quàm
gne lugere auditur. Nam & ſic *Attius vetuſtiſſimus Poëta*
*ereo apud Nonium*, *Merulâ* emaculante:

*Tereus indomito more atque animo barbaro*
*Conſpexit in eam, amore vecors flammeo, &*
*Depoſtus facinus peſſimum ex dementiâ*
*Confingit.*

guam verò, antequam præſcinderet, ita apud eumdem
s adfatus eſt:)

*O ſuavem linguæ ſonitum, & ô dulcitas*
*Conſpirantis animæ.*

ligatur ſanè per Terei puellam luſcinia, ſymphoniaca
, & amatoria, tùm profectò & hic *verſus* 87. de eadem
apiendus, & meâ quidem ſententiâ ita perſcribendus:

*t neges queri* (eamdem ſcil. Philomelam) *Sororis de*
*marito barbaro.*

quis SORORI malit, quod & nobis potiùs viſum, ad

 eam

eam planè faciem, quâ iterùm *Statius E[...]dio Patris* di
rat:

*— — Murmure trunco*
*Quod gemit, & duræ queritur Philomela ſorori.*

Id enim fabulæ magis & rei convenit, ac ſi luſcinia hir dini, æquè matutinæ avi, & germanæ quaſi, ſuum inſ tunium narret, & conqueratur. Unde *Palladas Anth lib.* 1. *tit.* 60. & *H. Megiſerus:*

Τίπτε πανημέριος Πανδιονὶ κάμμορε κούρη,
Μυρομένη κελαδεῖς τρισύλλα διὰ στομάτων;
Ἦτοι παρθενίης πόθος ἵκετο, τήν τοι ἀπηύρα
Θρηΐκιος Τηρεὺς αἰνὰ βιασάμενος.

Hoc eſt:

*Cur totos, Philomela, dies, miſeranda puella,*
*Conſumis triſtes flens iterando ſonos?*
*Virginei an floris tantùm te macerat ardor,*
*Inceſtus Tereî quem malè carpſit amor.*

De unicâ ergò ave tres illi præcedentes verſiculi, non avibus ſororibus loquuntur, id quod vel hic, qui jam inſ docebit:

## Verſ. 88.

*Illa cantat, nos tacemus: quando ver venit meum?*
*Quando faciam par, aëdon, ut tacere deſinam?* ]

Sic equidem tentabam. Nam cùm *Lipſius* rectè in p cedentibus duobus notam rogandi deleverit, in hoc tan verſuum pari relinquere illam *cum Pithœo* omninò deb rat. Nec enim planè præter cauſam toties ſignum il irrupiſſe credendum eſt. *Quærit ergò Pervigilii Scrip* Numquid non & ipſe aliquando ver ſuum pariter, ut tera animalia, habiturus, ejúſque adventum percept ſit? cúmque multis carmen Philomelæ commendâſſet, ipſam porrò adloquutus interrogat: & quando tandem quoque, veterno & torpore hiberno omni excuſſo, reſ ſurus, & paria facturus eſſet, tam amœnâ præſertim

tempeſtate. Atque ſic quoque ille, quiſquis fuit, *auctor carminis de Philomela apud Pithœum*, adfatu Luſciniæ illud concluſit:

*Porrige dulciſonas adtentis auribus odas:*
*Nolo tacere velis, malo tacere chelyn.*

Ubi mendosè legebatur; *Volo tacere cupis.*

Mens autem ejus hæc videtur, quòd cantor ille malit ſuam chelyn requieſcere, quàm Philomelam tacere. Contrà *Noſter* alternis Muſicam avis & hominis, atque ita ſuam quoque audiri cuperet, ſaltem ne perpetuò tacere cogeretur, ſed quoquo modo ipſemet avem quoque ageret & repræſentaret. Pari ſanè clauſulâ finitur verni temporis deſcriptio *in Anthologia lib.* I. *C. Rittershuſio* interprete:

*— — Cùm cantu perſtrepat ales;*
*Quid ni conveniat cantare hoc tempore vatem?*
*Quis taceat, dum cuncta vigent, dum cuncta loquuntur?*

Videtur autem ibi *Græcus Anonymus* hos duos Vatem & avem ita voluiſſe contendere invicem:

Πῶς δ' χρὴ καὶ { ἀηδόν' ἐν ἄϊεν / ἀοιδὸν ἐν ἔαρι } καλὸν ἀεῖσαι;

Nec de nihilo eſt, quod *Dionyſius* quoque, ſub imperio Auguſti orbem habitabilem qui deſcripſit, de Cycladibus meminit, quod gratulatoria ſacra Apollini choreas quotannis ducant univerſæ ineunti dulci primùm vere, quando in montibus procul ab hominibus fœtificet dulciſſima luſcinia:

Ῥύσια δ' Ἀπόλλωνι χορὸς ἀνάγωσιν ἅπασαι
Ἀρχομένου γλυκεροῦ νέον εἴαρος, εὖ τ' ἐν ὄρεσσιν
Ἀνθρώπων ἀπάνευθε κύῃ λιγύφωνος ἀηδών.

Quod ſi verò audax nimis alicui videatur noſtra hæc emendatio, quòd *chelidon* in *aëdona* mutata ſit, illi adeò mirum videri non poterit, cùm Philomela aliis quoque nunc in hirundinem, nunc in luſciniam, ut anteà dictum, conver-

ſa perhibeatur. Nec etiam tam longè à ſcripturâ priore ſeceſſum, cùm *in codice Pithœo-Lipſiano* ita legeretur:

*Quando faciam ut celidon, ut taceret deſinam.*

Unde alii *Petronii Editores* fabricaverant:

*Quando facit muta chelidon.*

E quo *Pithœus*, ac *Weitzius* legendum duxere:

*Quando fiet muta chelidon, & tacere deſinam?*

Quòd τὸ *facit*, ceu *Goldaſtus*, *Lotichius &c.* habebant, metri ratio non admitteret. Quaſi verò in tertiâ regione pædia dactylum æquiore animo toleraret. Quocirca vel hîc quoque mallem:

*Quando fiet muta aëdon?* ———

Hæc enim cantum ſuum tempori aucto æſtu finit, ubi hirundines hieme demùm conticeſcant, ceu ipſe quoque *Weitzius* animadvertit. Cur ergò Poëta noſter tamdiu differre carmen, & voluptatem ſuam debebat, qui poſt hiemem jam exactam, non quando iterum ea ventura eſſet, ſed potiùs, quando ver ſibi quoque jam veniſſet, inquirebat. Itaque optat, ut maturè ceſſante Philomelâ, ipſe quoque canat, nec ſemper taceat. Quorſum videbatur ſpectare, tametſi contrarium, *Vetus Epigramma apud Pithœum*, in clamoſum & furioſum Pygmæum:

*Corpore par merulis, es par clamore cicadis,*
*Hinc differs, quod te tempora nulla vetant.*
*Dum loqueris, quærunt cuncti, vox cujus ab ore?*
*Atque ſonum alterius corporis eſſe putant.*
*Miramur, tantùm accipiant qui membra furorem,*
*Ut ſit forma levis, clamor & ira gravis?*

Ita quidem *Fr. Juretus*, adplaudente *Opitio*, in primo verſu pro *querulis* repoſuit. Sed ipſe, nî ſyllaba ſecunda vetet, crederem ſcriptum fuiſſe:

*Corpore querquedulis es par, clamore cicadis.*

S

Si qui tamen *chelidonis* vocem mutari minimè velint, ſicuti & *patriæ meæ decus Barthius integro fermè cap. 6. lib. 4. Adv.* honoratum nomen hirundinum à multis adfectatum Poëtiſque præcipuè tributum, è variis oſtendit. Illi hanc fortean *Pervigilatoris* ſententiam fuiſſe putaverint; quòd cùm cantillante artificioſiſſimè Philomela ipſe Poëta ſtupore quaſi conticeſcat, propterea, quòd illam æmulus nullo planè modo adſequi carmine valeat, atque ideò alteram ſaltem ejus ſororem Prognen vel hirundinem imitandam ſibi proponat, quæ ſi non adeò dulciter, at diutiùs tamen cantet, quàm luſcinia, nec umquam ferè taceat, ſed ſemper triſſet. Itaque facilè verſus è ſuperioribus poſſet conſtitui, vel potiùs integrè, unicâ ſaltem reſtitutâ poſtliminiò literulâ, retineri:

*Quando* { *faciam* / *fiam* } *uti chelidon, ut tacere deſinam?*

Quippe & *Salmaſiano codice meliore* lectitatum eſt.

*Quando fiam ut celidon.* ——

Unde *Salmaſius* verſui conſulturus, integram vocem addendo fecerat:

*Quando ego fiam ut chelidon.* ——

Et ut tandem me exſpectorem, genio haud infauſto, ſed lubente dictatam puto hanc nobis emendationem, & ad mentem planè Auctoris cum præcedente verſu revolutam jucundiſſimam reciprocationem:

*Illa cantat: nos tacemus. Quando ver veniet meum?*

*Quando* { *fies muta,* / *facio mutuum,* } *Aëdon: ut tacente te canam?*

Ne quis verò in nobis accuſet, quod nos in aliis reprehendimus, per nos ſanè legi poſſet *fiet mutuum Adon*, nam & *apud Theocr.* ἀδόνες pro ἀηδόνες, & *apud Avicennæ interpretem Audon* exſtat.

Egregia verò & amœbæa avis & lyricinis permutatio! Nam & ipſæ Luſciniæ audiunt aliquando intentione magnâ, & reddunt, vicibúſque reticent. Viſum quoque ſæpè juſſas canere cœpiſſe, & cum ſymphoniâ alternâſſe, *narrante Plinio loco citato lib.* 10. *cap.* 29. Neque ſufficiebat Poëtæ, optare modò, ut ipſe tandem tacere deſinat, niſi Phœbo quoque benignè adſpiciente, Muſiſque adſpirantibus modulatè ſimul canat. Quare & noſtræ huic ultimi verbi emendationi apertè & vocaliſſimè favet.

## Verſ. 90.

*Perdidi Muſam tacendo, nec me Apollo reſpicit.*

Sic quidem malim, ut *Apollo* quintâ regione exſtet, quàm ſpondæus cum *Phœbo:* cujus rei monitor nobis fuit politiſſimus & literatiſſimus juvenis *M. Jac. Thomaſius.* Nam & ſic *Ennius in Thyeſte:* Et me Apollo ipſe delectat; & *Pindarus Odæ* 5. *Nem.* ὃν φίλησ' Ἀπόλλων.

Duobus verò præſidiis facultas illa Poëtica, uti acquiritur, bonitate igneæ naturæ & artis exercitio, ceu *Horatius* quoque inter alios cenſuit

*Natura fieri laudabile carmen & arte: &c.*

ita viciſſim totidem modis contrariis inuſu atque ſocordiâ & ingenio effœto atque frigido amittitur. Quare Pervigilium quoque & hîc & Venuſina *Juvenalis*, vel Aratæa *Cinnæ* lucerna requiritur; ſicut hic poſterior cecinit:

*Hæc tibi Aratæis multùm invigilata lucernis*
*Carmina, queis ignes novimus æthereos.*

Præcipuè tamen obtinet hîc illud *Ciceronis pro Archiâ*, quod à ſummis hominibus & eruditiſſimis acceperat; cæterarum rerum ſtudia & doctrinâ & præceptis & arte conſtare; Poëtam naturâ ipsâ valere & mentis viribus excitari, ac quaſi divino quodam ſpiritu adflari. Quod *idem eloquentiæ parens* 2. *de Oratore* explicatiùs repetiit: Audivi Poëtam bonum neminem ſine inflammatione animorum exſiſtere poſſe & ſine adflatu quodam furoris. Utrumque verò à Phœbo eſt. Quare *Statius* optimè *lib.* 12.

*Vix*

*Vix novus iſta furor, venienſque impleſſet Apollo.*

*Avienus Poëta grandis:*

*— Deus en Deus intrat Apollo*
*Pectora, fatidicæ quatiens penetralia Cyrrhæ.*

Sic *Lucanus lib.* 6. *Pharſaliæ:*

*— — artus*
*Phœbados irrupit Pæan mentémque priorem*
*Expulit, atque hominem totâ ſibi cedere juſſit.*

Et *Claudianus* 1. *de raptu Proſerpinæ:*

*Jam furor humanos noſtro de pectore ſenſus*
*Expulit & totum ſpirant præcordia Phœbum.*

Item:

*Quis Muſis, ipſóque licet Pæane recepto*
*Enarrare queat?*

Rurſus *de bello Getico verſ.* 598.

Hinc & in tali ἐνθουσιασμῷ conſtituti *Heſiodus* & reliqui antiquiſſimi Poëtæ à Muſis ſua ſe carmina accipere commenti ſunt, inquit *Barthius ad Claudianum*, jubens evolvere *Lucianum*. Ita *Virgilius Ecloga* 9.

*Et me fecere Poëtam Pierides.*

*Perſius* contrà, ut eò liberiùs Poëtas ambitioſos & jactabundos perſtringeret, de ſe ait:

*Nec fonte labra prolui caballino,*
*Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo*
*Memini,*

Quod idem eſt, ac ſi cum Noſtro dixiſſet: *Quod nec Muſas teneret, nec à Phœbo reſpiceretur.* Nam ut verba *Scholiaſtæ Perſiani, à Pithœo hic quoque omiſſa*, ſonant: *Dicitur, Pegaſum equum alatum, ad Heliconis montem errando*

*per-*

*perveniſſe, ibique ſibi oppreſſum ungulâ fodiſſe; ex quo loco fons editus Muſis fuit conſecratus. Dicit autem de illis ſe non eſſe, qui egregii Muſarum animi ſunt: Nec ſomniaſſe in Parnaſſo bicipiti; Libero ſacrata Niſa & Cyrrha Apollini.* Unde *Lucanus:*

*Cardine Parnaſſus gemino petit æthera colle,*
*Mons Phœbo Bromióque ſacer &c.*

Emphaticum quoque eſt verbum *reſpicere*, & numinibus proprium, quæ reſpicientia fingebantur, cùm favor eorum indicatur. Ut: Dii nos reſpiciunt, *Terent. Phorm.* id eſt, diligunt: & *in Andr.* niſi quid Dii reſpiciunt, me & te perdidi. *Virg.* 3. *Æneid.* Si qua pios reſpectant numina, id eſt, propitia ſunt. *Cic. ad Attic.* Niſi quis nos Deus, (*& alibi*) Rempublicam reſpexerit. Vates verò cumprimis deſiderant, ut ipſos Phœbus reſpiciat. Quamobrem *Calpurnius* vovet *Ecloga* 4.

*Te quoque facundo comitatus Apolline Cæſar*
*Reſpiciat.*

Et iterùm:

*Scimus enim, quàm te non adſpernetur Apollo.*

Contrà idem:

*— Te diverſus Apollo deſpicit.*

## Verſ. 91.

*Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit ſilentium.*]

*Deſiderius Eraſmus Roterodamus Chil.* 1. *cent.* 9. *adag.* 1. *Amyclas ſilentium perdidit:* verſum hunc à ſe dilaudatum, *probante quoque Scaligero*, ita protulit, hoc ſuperaddens: *Meminit & CATULLUS (niſi fallit inſcriptio carminis) DE VERE, quod nuper nobis Aldus Manutius noſter exhibuit in antiquiſſima quadam Galliæ Bibliothecâ repertum.* Plura, qui velit, adeat *Servium*, ad iſta *Virgilii lib. X. verſ.* 564.

— *Ta-*

— *Tacitis regnavit Amyclis*,

ubi hiſtoricam rationem hujus proverbii & duplicem quidem reperiet. Adluſit & *Silius Italicus:*

— *Quáſque evertere ſilentia Amyclas.*

Item *Lucilius: Mihi neceſſe eſt loqui, nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe.* Vide & *Jan. Parrhaſium ad Claudian. lib.* I. *de raptu Proſerp. ad p.*48. *Rader. ad Martial. lib.* 13. *n.* 110. *Dalechamp. ad Plin. lib.* 3. *c.* 5. *Carol. Steph. in Diction. hiſt.* & *Conr. Geſner. in Onomaſt.*

Haud inſcitè quoque Noſter, poſtquàm ſe ab Apolline non reſpici jam dixiſſet, exemplum Amyclarum ſubjecit, nam & illæ ab eodem Deo deſertæ, cùm anteà in tutela ejus Numinis fuiſſent. Hinc enim *Statius Papinius lib.* 1. *Theb.*

*Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ.*

Et *Claudian. de raptu Proſerpinæ lib.* 1.

*Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas.*

## Verſ. ult.

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*]

Quùm magnam partem felicitatis & ſapientiæ in eo ponerent Veteres, ut quantum poſſent viri ab amore ſibi temperarent, & vel penitùs abſtinerent, vel maturè ſe inde retraherent: E diverſo utrumque *noſter Veneris Calator* evincere cupit, ut & qui numquam amavit, nunc amet, quique amavit, ſemper amet. Eadem mens eſt *Sentii Augurini de Plinio Juniore, in ejus Epiſt.*

*Dum quærit, quod amet, probâtque amari*
*Ille Plinius, ille quot Catones?*
*I nunc, quiſquis amas, amare noli!*

Quæ lectio quoque *D. Barthio* defenſa *lib.* 35. *c.* 20. & totum carmen paraphraſi donatum. Idem *alius vetus Epigram-*

*grammatarius apud Scaligerum in Catalect. Virgil. lib.* 1. *p.* 20- ſentit:

*Inſanus vobis videor, nec deprecor ipſe,*
*Quominùs hoc videar. Cur tamen hoc videor?*
*Dicite nunc: Quod ſemper amas, quod ſemper amaſti:*
*Hic furor? hic, Superi, ſit mihi perpetuum.*

Qui verò numquam priùs amârunt, illud *Naſonis* audiant: *Venit amor graviùs quò ſeriùs.* Et *Sophocl.*

Ἔρωτι μὲν νῦν ὅστις ἀντανίσταται
Πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, οὐ καλῶς φρονεῖ.

Ita *in Varronis Epiſt. ad Fuſſium* ſuſpicor legendum *apud Nonium:* Si hodiè nænum venis, cras quidem adſis Veneris Pervigilio, hodiè natalis Fortis Fortunæ. *ut apud Arnobium lib.* 5. Lavatio Deûm matris eſt hodiè, Jovis epulum cras eſt. *Et ſtatim:* Telluris natalis eſt.

Quúmque *ſuprà p.* 46. carmen hoc *Veri* pariter & *Veneri* ſacratum oſtenderimus, propterea quòd Ver Veneris eſſet tempus, & hæc ſine illo parùm aut nihil eſſet; comparere hîc voluimus *Cl. Barthii*, idem planè nobiſcum & honorificentiſſimè de hoc Pervigilio cenſentis imitationem, quam ad *T. Calpurnii Eclogæ* 5. verſus illos protulit:

*Tunc etiam tota vernanti gramine ſilva*
*Pubet & æſtivas reparabilis inchoat umbras,*
*Tunc florent ſilvæ viridiſque renaſcitur annus,*
*Tunc Venus & calidi ſcintillat fervor Amoris.*

Vide (*inquit*) elegantiſſimum carmen, quod Pervigilium autumatur. Quem auctorem delicati Poëmatii nos aliquando æmulantes, *in X. libro Amabilium* ita cantillavimus. Unde non ſaltem Pernoctator noſter magis explanabitur, ſed & lectionem mentémque illuſtris viri, quam ſecutus ſit, edocebimur.

*Speculum Leporis almum,*
*Ver, pande humum rigentem.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Vere ingruente vita*
*Rediviva luce Olympi eſt.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*

Longe

*Longo ſepulta ſomno*
*Natura jam reſurgit.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Genitabiles Favonii*
*Rerum excitant calores.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Aprilibus ſub auris*
*Roſa mundus omnis una eſt.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Emortua ante florum*
*Nunc germina intumeſcunt.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Speculum Leporis almi*
*Ver Luſuum dioptra eſt.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Ver Ludii chorea eſt,*
*Ver ſaltuum lubido eſt.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Ver prata cum coronat,*
*Charites redire certant.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Amabiles Favonii,*
*Roſeos rigate campos.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Reducite eleganti*
*Pede, Gratiæ, choreas.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Saliſubſuli Lepóres,*
*Speculum polite veſtrum.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Labella ſaviorum*
*Sitiunt modò duella.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Papillula arrogantes*
*Oppreſſiunculas vult.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Tunicæ ſuopte motu*
*Jam ſubſilire pugnant.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Oculiſque delicatum*
*Monſtrare mox roſetum.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*

*Et illud, illud, illud*
*Sed pulchra ſubticendum eſt.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Hebe rotunda ventre*
*Sitit Herculem maritum.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Juventa virginalis*
*Phœbum expetit glabellæ.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Pandunt ſinus papillæ,*
*Et ambiunt puellos.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Hortus tuus, Cythera,*
*Vult irrigari Amore.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Nemus maritum in imbrem*
*Comam arborum reſolvit.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Roſa vinculum reſignat,*
*Unguemque vult ſuperbum.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Cupido prætor eſt: jus*
*Ediſſerit juventæ.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Taurus, Leo, Tigriſque*
*Agit ſuas choreas.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Cedat Diana ſilvis,*
*Jam regnat has Cythera.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Sedat Salacia undis,*
*Jam regnat has Cythera.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Cedat Joviſque Olympo,*
*Jam regnat hunc Cythera.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*Pan montibus, Paleſque*
*Agris ſevera cedat;*
*Et Faunus & Deorum.*
*Quod uſpiam eſt bonorum*
*Diona ubique regnat.*

Null

*Nullum Diona numen*
*Regnare vult, niſi unum,*
*Amabilem. Priapum.*
*Sine Vere nil Diona eſt.*
*In Vere cuncta, cuncta*
*In Vere jam Diona eſt.*

Atque hæc ipſa *Barthiana imitatio* calcar mihi & anſam ræbuit, ut ſalvis quorumvis judiciis & lectionibus, meam aoque mentem liberè nunc proferam, & quo quidem iodo totum hoc Poëmation ſcriptum fuiſſe vel putem, el optem: ita ut etiam poſt tertium plerumque verſum inrcalaris jucundiſſimè intercurrat, raro poſt quartum aut aintum, & nihilominùs tamen ſingulis tam paucorum erſuum ſtrophis ſententia quælibet argutè abſolvatur, uemadmodum ὀφθαλμοφανῶς ex ſequentibus adparebit.

*VEr novum, ver jam canorum, ver renatus orbis eſt:*
*Vere concordant Amores, vere nubunt alites,*
*Et nemus comam reſolvit de maritis imbribus.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Cras Amorum copulatrix inter umbras arborum*
*Implicat caſas virentes de flagello myrteo:*
*Cras Dione jura dicit, fulta ſublimi throno.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Tuncque viro de ſuperno, ſpumeo pontus globo,*
*Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos,*
*Fecit undantem Dionen de maritis imbribus.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Facta Cypris de cruore, déque amoris floſculis,*
*Déque gemmis, déque flammis, déque Solis purpuris.*
*Ipſa gemmeîs purpurantem pingit annum floribus.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Ipſa turgentes papillas de Favonî ſpiritu*
*Mulget in fœtus latentes; ipſa roris lactei,*
*Noctis aura quem reliquit, ſpargit humenteis aquas.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Emicant lacrumæ trementes decidivo pondere;*
*Gutta præceps orbe parvo ſuſtinet caſus ſuos,*
*Et recentibus vegentes ducit umbras floribus.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ:*
*Humor algens, quem ſerenis aſtra rorant noctibus,*
*Manè virgineas papillas ſolvit uventi peplo.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Ipſa juſſit manè ut udæ virgines nubant roſæ:*
*Cras ruborem, qui latebat veſte tectus igneâ,*
*Unico, marita, nodo non pudebit ſolvere.*

*Cras*

*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Ipſa Nymphas Diva luco juſſit ire myrteo;*
*It puer comes puellis: nec tamen credi poteſt*
*Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*
*Ite Nymphæ: poſuit arma, feriatus eſt Amor.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Juſſus eſt inermis ire, nudus ire juſſus eſt:*
*Neu quid arcu, neu ſagittâ, neu quid igne læderet.*
*Sed tamen cavete Nymphæ, quod Cupido pulcer eſt:*
*Totus haud inermis idem, quando nudus eſt Amor.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Compari Venus pudore mittit ad te virgines:*
*Una res eſt, quam rogamus, cede, Virgo Delia,*
*Ut nemus ſit incruentum de ferinis ſtragibus.*
*Ipſa vellet, ut venires, ſi deceret virginem.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Jam tribus choros videres feriatos noctibus,*
*Congreges inter catervas ire per ſaltus tuos,*
*Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Nec Ceres, nec Bacchus abſunt, nec Poëtarum Deus.*
*Decinent, & tota nox eſt perviglata cantibus:*
*Regnet in ſilvis Dione, tu recede Delia!*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Juſſit hyblæis tribunal ſtare Diva floribus:*
*Hybla totos funde flores, quantus Ennæ campus eſt;*
*Hybla florum prome veſtes, quotquot annus adtulit.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Præſes ipſa jura dicet, adſidebunt Gratiæ;*
*Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,*
*Quæque ſilvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt.*
*Juſſit omneis adſidere pueri mater alitis;*
*Juſſit & nudo puellas nil Amori credere.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Cras erit, quo primus æther copulavit nuptias,*
*Ut pater totis crearet vernus annum nubibus,*
*In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis;*
*Unde fœtus mixtus omneis aleret magno corpore.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Ipſa*

*Ipſa venas atque mentem permeantis ſpiritûs*
*Intus occultis gubernat procreatrix viribus;*
*Perque cœlum, perque terras, perque pontum ſubditum,*
*Pervium ſui tenorem ſeminali tramite*
*Imbuit, juſſitque mundum nôſſe naſcendi vias.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Ipſa Trojanos nepotes in Latinos tranſtulit:*
*Ipſa Laurentem puellam conjugem nato dedit:*
*Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Romuleas ipſa fecit cum Sabinis nuptias:*
*Unde Rhamnes & Quirites, proque prole poſterûm*
*Romuli, Patrem crearet & nepotem Cæſarem.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Rura fœcundat voluptas; rura Venerem ſentiunt.*
*Ipſe Amor, puer Dionæ, rure natus dicitur:*
*Hunc ager, cùm parturiret ipſa, ſuſcepit ſinu,*
*Ipſe florum delicatis educavit oſculis.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*

*Quiſque cœtus continetur conjugali fœdere.*
*Ecce jam ſuper geniſtas explicant tauri latus!*

 *Sub-*

*Subter umbras cum maritis ecce balantum gregem!*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*
*En canoras non tacere Diva juſſit alites.*
*Jam loquaces ore rauco ſtagna Cygni perſtrepunt:*
*Adſonat Tereî puella ſubter umbram populi,*
*Ut putes motus Amoris ore duci muſico,*
*Et neges queri ſorori de marito barbaro.*
*Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.*
*Illa cantat, nos tacemus: Quando ver veniet meum?*
*Quando fies muta, Aëdon, ut tacente te canam?*
*Perdidi Muſam tacendo, nec me Apollo reſpicit.*
*Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit ſilentium.*
*Caſtè amet, qui nondum amavit; quique amavit, caſtè amet.*

# SUMMARIA PARAPHRASIS ET CONCATENATIO.

QUod in adparatu nuptiali Magnificorum obſervari ſolet, ut reparatis & emundatis denuò ædibus, præcinentibus & invitantibus Muſicis, hoſpitibus omnibus eleganter comtis & veſtitis, ac quaſi rejuveneſcentibus aut renatis, ſponſus amicæ, poſt facta jam ſponſalia, concordans, cum eâdem nuptias ſollemnes inſtituat, atque hæc ipſa paſſis & fragranti ſtillicidio perfuſis capillis marito futuro obviam fiat: Illud tempore verno totus mundus nuptias celebrans imitatur. Palatium ſuprà infrâque innovatur, alitum genus fidicines agit, nihil non renaſcitur quaſi & in amorum concordiam ipſâque adeò connubia luxuriante capillitio proruit. Ut vel ipſa rerum Natura mater omnes atque ſingulos videatur inclamare, ut quiſquis, ſeu amârit umquam priùs, ſeu non amârit, amorem non niſi unum forſitan diem procraſtinet ampliùs. Eóque minùs, cùm circa hoc tempus videat ipſam πόθων μητέρα ἀελλοπόδων Venerem ante ædes quaſi nuptiales, virentes ſuas arbores non modò collocâſſe, ſed ita utraſque complicatis flagellis maritâſſe, & thalamum quaſi obſcuratura intexuiſſe, ut vel ipſæ quoque conjugalem copulam nobis inſinuent. Quem ſanè non poſſit non Diva illa πάνδημος omnibus modis promovere, cùm ipſa toti huic univerſo, ceu regina altithrona imperet, atque litibus odiiſque reſciſſis amorem ampliandum quibuſcunque injungat, & paria ſingula ipſamet combinet, vel adunet veriùs. Quandoquidem nec aliter illa ipſa Diva fuerit procreata, quàm quòd temperie vernâ ipſa cœlo dejecta, mari edita, fluctibúſque (*ut loquitur Apulejus lib. 2.*) ſit educata, hoc eſt, ab igneo ſeminis vigore, & ſpirituoſitate maſculâ, atque humectâ ſpumoſâque naturâ ſurgat ſalacia & coëun-

coëundi aviditas; nam & *Varrone lib.* 4. *de L. L. auctore*, Venus victrix ex junctione ignis & aquæ, vel ideò in nuptiis quoque in limine adhibitorum, velut à causâ naſcendi duplice deſumitur: Ubi mas ignis eſt, quod ibi ſemen; aqua fœmina, quòd fœtus ab ejus humore; hæc Venus conjungit invicem, ipſa inter equos, libidine hinnientes, & bijugum duplicitates aliquando exorta. Quæ itaque Venus de opt. ſanguine, flore amoris, igneóque ſemine, in humido radicata elemento, Sole etiam (qui & ipſe cum homine generat hominem) cooperante, inſtar gemmulæ alicujùs protuberavit; illa ipſa quoque tempus ſuum ſimilibus cupit renovatum & picturatum gemmeorum & flammidorum florum muricibus. Quin & illa ipſa benigna mater, ceu Croni viro lacteſcente producta, ubera ſua bacchantia, (*uti Naſo* 6. *Met. vocavit*) & tepidiuſculâ Zephyri aurâ turgeſcentia relinere, & in illos ſuos vernos, intráque terræ uterum adhuc latitantes, & jamjam erumpentes fœtus, emulgere, paritérque in jam natos candidiſſimum ſuum lactique ſimillimum rorem, ceu Juno quondam in lilia, de nocte diſpergere cœpit. Ut manè facto, ſi quid genitalis illius lacteique ſucci ab aurâ nocturnâ (*non enim niſi hac omni quieſcente, juxtâ Plin. lib.* 18. *c,* 29. *cadunt rores*) reliquum factum, videas tremulum mare mellifluo nitere arvo, (*ut Poëta vetus in Centimetro Servii loquitur*) guttáſque paſſim floſculis ita hærere, ut lacrimæ oculis ſolent: quæ cùm caſum, in quem, ceu graviores factæ, propendent, ſemper minitentur, aliquandiu tamen rotunditate ſe ſuâ adhuc ſufflaminent, & umbellam quaſi quamdam floribus, eoſdem vegetantem, inducant. Quo ipſo fit, ut roſæ purpureæ, tanquam Nymphæ pudibundæ, publico ſe ſiſtant, atque proferant, earúmque ceu virginum mamillæ, quò plus humoris & cœleſtis ſudoris ſub lumine Lunæ roſcidæ, & purgatiſſimo noctis aëre collegerint, eò citiùs ſe aperire, & veſtibus denudare, atque nuptiis veluti proſtituere conſueverint. Ut ipſæ, Venere ita jubente, omnem ruborem, quem tantoperè carum & occluſum priùs habuiſſent, poſtridiè, ceu maritæ jam factæ, in apricum prodere, & omnium oculis exponere, pudicitiæque clauſtra effringere non vereantur ampliùs. Eodem verò pacto, quo florum reginas, ceu jam ſponſas produxit, illa ipſa Amorum Dea, roſeas quoque & roſcidas Nymphas ſuas per amœna myrteta

teta & umbroſos lucos ad feſtum Veris ſollemne prodeambulare mandavit; iiſque comitem facundum, qui pro vehiculo eſſet, aſſociavit Cupidinem. Sed non ſatis tutæ videri illæ poterant, ſiquidem Amor ſua ſecum arma veheret, nec ipſe quoque pariter, ut illæ ab omni penitùs opere ceſſare, feſtúmque hoc innoxium planè feriatus accedere vellet. Sed intempeſtivus ille, & omninò fruſtraneùs erat metus: Ite modò, ſaltate, & gaudia veſtra ſecuræ peragite virgines; arcum, tela, faces, exarmatus omnibus & ſingulis, quæ ullo modo læſura videbantur, depoſuit. Utque feſtivus vobis, & revera otioſus adpareat, nec quicquam formidabile occultare forſitan valeat; ellum, quantillus eſt, totum nudum, vobiſcum tripudiare, atque, matre ita decernente, reſtim ductitare conſpicamini. Quicquid tamen ejus rei ſit, vel ipſa illa nuditas, & nativa ejuſdem manifeſtè comparens pulchritudo monere virgines debuerat, ut aliquantò cautiùs ipſum choris ſuis adjungant Amorem, quantò ille validiùs nudâ ſuæ formæ pulchritudine munitus, nec, licèt inermis, totus planè ſit exarmatus:

*Quò nudus magis eſt, hoc minùs alget Amor.*

Nunc verò cumprimis opus fuerat pudicis puellis, ut ne cogitationibus quidem Venereis occupatæ forent, quando Dianæ pro virginitate hactenùs cultâ reſponſuræ, conſimili ferè ipſius Divæ pudore, ad hanc ipſam nubiles jam, & viro maturæ cum caniſtris acu pictarum, & manu ſuâ elaboratarum telarum plenis, illam propitiaturæ, ablegentur, ne de cætero ipſis corrumpendis iraſcitur, (*velut è Theocriti Scholiaſte ad Idyll. 2. hæc omnia diſcimus*;) neve illa tanquam in venatu inter feras ſueviſſet, ita in puerperio aliquando ſtragem cruentam edat, cujus rei ſimulachrum quoque, & ſuſpicandi materiam eædem deprecantur, atque Dianam tantiſper, dum ipſæ Veneri ſuæ faciant, & ferientur, à lucis, nemoribúſque ſuis ſecedere, atque ab omni cæde ſibi temperare comprecantur. Non quòd non eædem virgines adeóque ipſa Venus Dianam ferre non poſſent, quæ ipſa Divam alteram quoque ad ſacra ſua adventare gaviſura eſſet ex animo, ſiquidem à decoro virginali, & rigidâ tanti numinis ſeveritate non paulò alienius fortaſſe, pervigilationibus hujuſmodi liberiori-

 bus

bus & hilarioribus intereſſe, videatur. Jam tùm enim per integrum trinoctium cum ſui ſimilibus, & natu quoque majoribus congregatas puellas in merâ lætitiâ, ipſas florum ſertis exornatas, & roſis quoque inſultantes, per medias illas humiliores, & è myrtis complicatas tripudiare caſas, atque tabernacula, & ad ſummum uſque manè ſua continuare cerneret Pannychia. Ubi *ὁ διαγρυπνήσας μέχρι τὴν ἕω ἐλάμβανε τὸν πυραμοῦντα*, *ut Ariſtophanis Interpres in Equit. tradidit.* Adeſſe igitur & Cererem oportuit, & Bacchum quoque, ne ἄοινα aut ſicca frigerent hujuſmodi feſta Venerea; quæ ita inſtaurata Phœbus quoque exortus ſuâ Muſicâ viſitans redderet lætiora: tametſi per exactam noctem nihil dum aliud, quàm cantatum, atque illud fermè ſolùm: (*Regnet in ſilvis Dione, tu recede Delia*) exauditum fuiſſet. Hic jam Venus antemeridiano tempore, ſi friguſculum aliquod de nocte ſuis colludentibus interveniſſet, pro roſtris, jus cuilibet ex æquo redditura, conſidere meditatur. Et ne ſine omni ſtrepitu judicii hoc facere velle videatur, cum pompâ & adparatu rem agere occipit. Erectum ſtat tribunal floribus, non paucis, nec vilibus, ſed Hyblæis, imò Hyblæis tantum non omnibus oppletum, & aulæis quoque floridis è toto quaſi Ennæ campo demeſſis conveſtitum. Occupato nunc majeſtatis throno, Regina præſidet Venus, Scabinæ ponè ſedent, gratioſæ & pellaces Charites, Nymphæ, Oreades, Napeæ, Hamadryades, Naïades, & Nereides, velut in Γυναικοσυνεδρίῳ, aut *Heliogabali* Senatulo: Quas omnes & ſingulas ſibi à latere & conſiliis eſſe gaudet illa Amoris volatici genitrix. Eadem ſententiam ſuam per comitia hîc rogatam publicat univerſis, ut nulla umquam virgo quicquam credat aut fidat Cupidini, ſi vel maximè nudum, apertum, & inermem eum intra brachia ſua tenere certo certiùs præſumat; fugitivum illum ait, & aviculâ quâvis leviorem eſſe erronem, quem nec ipſa ſæpè retinere poſſit mater. Non ſtatim ergò libidini eſſe velificandum, ſed ampliandum & differendum aliquantiſper, aut ſaltem in craſtinum manè protelandum eſſe amorem. Nam ſi verè & honeſtè quiſquam amet, eum, ubi ſobrius ſit factus, cogitaturum & perpenſurum ſecum eſſe, quomodo totum hoc univerſum legitimo conglutinatum ſit conjugio, quomodo imprimis Æther ille, roris pater, totius anni fertilitatem proſeminaverit, dum Terræ, magnæ illi matri, at-

tque omnium nutrici per nuptialem fœcundi imbris coulam incubans, res creatas omnes, ceu fœtûs ſuos aniıet, & vegetet atque foveat, & conſervet. Conſideraırum porrò genuinum amatorem, quomodo illa ipſa Ve.us ceu procreationis princeps, mentem ipſam πᾶν τὸ ὅλον ervagantis, & commeatu ſuo inſtruentis ſpiritûs, potenıſſimi ſceptri ſui, non cuivis perſpectis rationibus moleretur: ita ut nihil nec in aëre, nec in terris, neque ùbjecto in mari deprehendatur, quod non eâdem vi imıutum nôrit, quo pacto coitionis illius nuptialis tenore ıerpetuo totum hunc mundum, atque omnia ſecula proıagare debeat. Hoc jam præmeditatus in craſtinum delierato animo ad amorem maturum feſtinare aliquis, nec omperendinare matrimonium ampliùs poterit, gnarus, i liberos inde tollere debeat, Naturam, ſeu adeò Veneem illam nominare malit, illos, ceu nepotes ſuos alituam, & vel coloniis quoque ductis alibi ſuſtentaturam ſſe; ſicuti Trojâ concrematâ & everſâ, ejus incolas in atium quondam deduxit, ibidémque Laviniam Æneæ ùo legitimo conjugio copulavit, Martique Iliam conciliaıt, & Romulo, atque ejus populo de Sabinis uxoribus ırospexit; unde non Equites modò & Nobiles, ſed & plebs Quiritium per longa tempora ad ipſum uſque Julium & Auguſtum, è Veneris proſapiâ Cæſares, eſſent propaati. Quòd ſi jam quiſpiam fortean cenſeat, Amorem àltem urbanorum & divitum eſſe, & pauperiores omninò eſpuere pagorum colonos; atque ille propterеà animum uum, nec ullam ſibi deſpondere velit uxorem; is veò nec rura carere poſſe voluptate cogitet, niſi planè terileſcere debeant, indéque adeò neceſſariam eſſe agriolis Venerem, ut cum ipſis quaſi Amor primùm natus & ducatus ruri videatur. Ubi præſertim in amœniſſimis lois liberiùs omne animalium genus apricari, congredi, aſcere, & ſuos nutricari valeat. Quin & optimos ibi tiicines volucres lætè adſonare, & cùm juxta ſtagna Oloes, tùm ſub umbroſis arboribus Luſciniam tàm ſuaviter antillare audias, ut omnes amoris motûs ac modulos muciſſimis ſuis organulis eam ductitare, nec quicquam in jus voce querulum de Tereo immani relictum autumes. Quæ ipſa in cantu ſuo delicatiſſimo pervigilans Philomela Poëtam ita extra ſe poſuit, ut illâ cantante carmen ſuum ontinuare nequeat, ſed exclamare cogatur: Quando tan-

dem

dem & ipſe pariter ut tu, avicula mea dulciſſima, veris vires & cantillandi ſtimulum ſentiam? Quod ipſum niſi aliter, quàm te ſilente, recuperavero, quando erit tandem, ut, quemadmodum nunc ego te canente tacere cogar: ita viciſſim te tacente egomet quoque canam, & tecum quodammodò alternando contendam? Sed fruſtrà ſum, nil ago, quando te auſcultando ita obtorpuerim, ut Muſam quaſi omnem amiſiſſe videar, nec me Phœbus magis, quàm Amyclas ſuas, eodem taciturnitatis vitio deletas, reſpectare dignetur. Nihil igitur ampliùs, quàm hoc ſolùm, in fine pariter ut in principio, ceu præco aut calator quidam intervocaliter ſuccinere perpetuò poſſum:

*Caſtè*
*Quiſquis amaris*, *ama*; ac, *ut ameris*, *amabilis eſto!*

Non alienum quoque, ſed perſimile viſum eſt aliis *Jani Anyſii Pervigilium*, quod, imperante Maximiliano I. Romæ compoſuit, & *lib.* 2. *Variorum* publicavit. Ubi *Venus Dea Gnidi*, *germinum vita* dicitur, *Quam propter coëant frondicomæ arbores*, *Maritáque prunus aurea pariat perſica. Ipſa imbribus lætis madens Effundat gravidas fœtibus è ſuo Scintilluláſque Gratiáſque aureo ſinu*, *Rubeántque in hortulis Roſæ illius ortæ ex vulnere. Quam Deam & avium & Serpentium ac pecudum genus ſentiat*, *quódque in aquis net liquido pede. Cui en aræ micent*, *Et flore*, *myrto & plurima*, *Incendátque puer thura*, *bona accinens Verba occinant voce & puellæ tinnulæ: Ades Erycina*, *ades*, *Pulchro refulgens ſidere*, *Ut ſpectare ſoles delicias tuas*, *Tuos amores*, *Idáque ut vidit ſtupens.*

Seculum nunc etiam eſt, quum Romæ *Ambroſius Novidius*, ceu *Neovidius* quidam *faſtorum ſacrorum XII.* edidiſſet *libros*, ubi pariter *metaphraſten* quendam *noſtri Pervigilii* egit, Aprilem ab Aphrodite omnium matre Romanis cenſens denominatum.

*Quando ſuis gradibus Trojana in gente reperta*,
  *Mitis Iulæos fecit in Urbe Deos.*
*Utque eadem pulchra eſt*, *ita pulchro tempore digna:*
  *Atque fuit Marti continuata ſuo.*
*Hæc elementa priùs* (*ſit fas hinc cœpta moveri*)
  *In quibus hæc nunc ſunt: junxit amore locis.*
*Hæc aperit tempus: hæc pellit frigora vere:*
  *Hæcque ſatis vires arboribúſque refert.*

*Hæc*

*Hæc Dea, quod tellus, quod mobilis educat aër,*
*Quod mare, quod cœlum, numine ſola creat.*
*Tolle illam: magnæ fiant ſine civibus urbes:*
*Nec populos, quos nunc poſſidet, Orbis habet:*
*Nomina natorum ſunt nomina nulla parentum:*
*Quæque roget, quondam victima nulla, Deos.*
*Hâc Duce nunc volucres demulcent aëra cantu:*
*Et variè ludunt luxuriántque feræ.*
*Illi floret humus: ridet ſine nubibus æther:*
*Mitéque fit pelagus: Lunáque Sólque redit.*
*Dicta ſed à ſpuma eſt: hoc parcite velle negare:*
*Unde ſibi menſis nomina Graja meret.*
*Marti hoc juncta Venus: requierat murmur amoris:*
*Amborúmque ingens corpore languor erat.*
*Quum ſubitò tellus contagia ſenſit amantum:*
*Vérque caput primæ cinxit honore roſæ.*
*Semina conſpiceres urgere cacumine terram,*
*Molléque non uno flore nitere ſolum.*
*Quique aderant multo detonſi frigore colles,*
*Ceperunt denſas per juga ſumma comas.*
*Sponte ſua tergo quæſivit vacca juvencum:*
*Aque mare inſtanti prona ſalitur ovis.*
*Fœmina tunc primùm blandum cognovit amantem:*
*Tunc ſtudium cultus primáque cura fuit.*
*Tunc elegi placuere leves: duræque puellæ*
*Eloquio victæ manè dedere manus.*
*Miratæque fidem juvenis prope nocte jacentis,*
*Viderunt teneris limina fuſa roſis.*
*Tunc digitis gemmas, tunc tradere crinibus aurum*
*Cœptum: tunc artes mille fuere viris.*
*Cùm ſint hoc igitur Veneris tot tempore dona,*
*Livor erit, menſis ſi eripiatur honos.*

uæ omnia tamen deinde ad Naturam, veram omnium nitricem & nutricem tranſtulit, cui poſt Deum, penes iem ſtet *vis prima creandi*, *naſcendi data nunc forma ſecun- foret*, ſubdens:

*Pace tuâ Venus hæc vera eſt: tu ficta putâris:*
*Hac duce nam ſpumis naſceris ipſa tuis.*

ed ſileamus & nos, non tamen propterea perdendi. Nec enim

enim plura de hoc Pervigilio, ne ipſe pervigilem, *concludit Lipſius*. Alio tempore alia:

*Cras aret, qui numquam aravit; quique aravit, cras aret.*

Ita dictata hæc ad calamum, quæ vos excepiſtis & exarâſtis, ad imitationem noſtri intercalaris epicithariſmate finiamus.

Totum verò opuſculum hoc Chriſtianâ gemmâ conſignemus, quam pariter ad umbilicum Venerii Poëtæ, imò artificis amandi, pius quidam Librarius MScr. noſtro adjecerat:

MUNDUS AMET MUNDUM, ME MUNDUS,
NON EGO MUNDUM.

(Addo:)

ODERIT AST MUNDOS MUNDUS, AMABIT
AN HUNC?

---

# CORONIDIS LOCO
## ANTIQUA TROCHAICA SUBJICIAMUS.

NOtum eſto, Trochaïcis hujus generis carminibus antiquitatem cumprimis delectatam fuiſſe in ſolemnibus pompis & proceſſionibus v. gr. triumphalibus, aut ſacris quibuſcunque, & feſtis tripudiis. Unde & *in Prudentii Pæane*, ſeu *hymno IX.* qui ſic inchoatur:

*Da puer plectrum, Choreis ut canam fidelibus!*

*Fabricius* addidit: *Choreis Genus carminis Trochaïcum innui.* Quòd illis nullum metrum eſſet aptius, quàm trochæorum, à temporum celeritate ſeu volubilitate nuncupatorum, & in Choris frequentatorum, unde & *Chorei* dicti & *rotatiles*, quòd rotæ motu, ex violento & naturali compoſi-

poſito, ferantur. Nam rota ubi primo quoque impulſu ſemel mota eſt, ab ſeipſa motus tenorem perpetuat, propterea quòd ſemper partem inferiorem ſuperioris orbis moles premat. Itaque licèt Iambus æquè citò evadat è faucibus, ſolum tamen Trochæum volubilem agnoverunt, propter aliam ſyllabarum, in eadem quidem temporum quantitate, diſpoſitionem. Iambus enim initio celer impetum capit, mox ſubſiſtit. Contrà ſtat primùm trochæus, deinde urget hoc ipſo quaſi pondere ſyllabæ ſyllabam, in quam incumbit, atque ea videtur ſubterlabi ſuâ celeritate. Quemadmodum egregiè hæc, ut omnia, nos edocet *J. C. Scaliger in Hyle Poët. cap.* 3. Cúmque carmina ita ab initio facta, ut cantillarentur, quare adducor, ut hæc inter prima agnoſcam. Quamobrem & *Porcium Lucinium Servius* Poëticam Romæ cœpiſſe dicit, in hiſce verſibus, *teſte A. Gellio lib.* 17. *cap. ult.*

*Pœnico bello ſecundo, Muſa pinnato gradu*
*Intulit ſe bellicoſi in Romuli gentem feram.*

* * * * *

*Ennius* quippe & *Pacuvius*, *Nævius* aliique priſci hoc carminum genere gaviſi, licèt rudi adhuc & impolito, ut ſuprà pag. 104. monſtratum eſt. Taliáque multa *in Varrone*, *Cicerone*, & *Veterum Poëtarum*, *Grammaticorum* item *Corpore* deprehendimus, quorum guſtus hic eſto, quæ inter florida Veterum alibi emendavimus & enarravimus.

*Num novus quidam Deus jam ſic repertus eſt Jovis?*
*Adſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Jovem,*
*Cui quod in me eſt, exſecrabor hoc, quod lucet, quicquid eſt,*
*Juppiter tremenda, ſancte, tela qui regis manu.*

* * * * *

*At pater Divûm triſulcum fulmen igni fervido*
*Mittat in tholum macelli.*

* * * * *

*Túmque cœli mundu' vaſtus conſtitit ſilentio,*
*Et Neptunus ſævus undis aſperis pauſam dedit,*

*Et*

*Sol equis iter repreſſit ungulis volantibus;*
*Conſtitêre amnes perennes, arbores vento vacant.*

* * * * *

*Aureos ſubducit ignes ſudus ora Lucifer.*

* * * * *

*Cœrulæ Neptune rector undæ, littorum potens.*

* * * * *

*Tolle thyrſos, æra pulſa, jam Lyæus advenit.*
*Bacche vitium repertor, plenus adſis vitibus,*
*Effluas dulcem liquorem comparandum nectari.*
*Conditúmque fac vetuſtum, ne malignis venulis*
*Aſperum ducat ſaporem, verſum in uſus alteros.*

* * * * *

*Sic coruſcus imber, alto nubilo multus cadens,*
*Grandine implicatur alba.*

* * * * *

*Improbè Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit*

* * * * *

*Aſſum atque advenio Acherunte vix viâ altâ atque ardua*
*Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus,*
*Maximis: ubi rigida conſtat craſſa caligo inferûm.*
*Unde animæ excitantur obſcura umbra, apertóque oſtio*
*Alti Acherontis, mortuorum ſalſo ſanguine imagines.*

* * * * *

*Tenebræ conduplicantur, noctiſque & nimbûm occœcat nigr*
*Flamma inter nubeis coruſcat, cœlum tonitru contremit.*
*Grando miſta largifluo imbri ſubito præcipitans cadit:*
*Undique omnes venti erumpunt, ſævi exſiſtunt turbines.*
*Fervet æſtu pelagus.* Cic. 3. de Oratore.

* * * * *

*ules invicte, Cautus hoc tuo donum lubens*
*nini ſancto dicavit, Prætor urbis maximæ:*
*pia ſollemne mente ritè feciſſet ſacrum,*
*idiſti quod Potitiis Evandreo ſeculo*
*iniſtrandum, quod illi huc Antiis adduxerant.*

* * * * *

*ini Fortuna currum, à carcere ultimo levis,*
*um inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſubit:*

* * * * *

*magnoperè quæſierunt, id fruiſci non queunt.*

* * * * *

*Sapiens virtuti honorem præmium haud prædam petat;*
*uid video, ferro ſeptus poſſidet ſedes ſacras?*

* * * * *

*i' modis ſum circumventus, morbo, exſilio atque ino-*
*pia:*
*pavor ſapientiam omnem mî exanimato expectorat,*
*horribilem minatur vitæ cruciatum & necem:*
*? nemo ingenio éſt tam firmo & tanta confidentiâ,*
*refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.*

* * * * *

*qui neſcit uti, plus negocii hic habet,*
*i cùm ſit negocium . . . . . in negocio.*
*cui quod agat inſtitutum eſt, nullo id agit negocio;*
*t ibi, ſuámque mentem atque animum delectat ſuum.*
*ſed otioſo neſcit animus quid velit.*
*dem eſt, neque nos domi nunc, nec quoque militiæ ſu-*
*mus.*
*huc, hinc illuc, cùm illuc ventum eſt, ire illinc lubet;*
*tè errat animus, præter propter vitam vivitur.*

* * * * *

*Hæc tu etſi perverſa dicas, facilè Achivos flexeris.*
*Namque cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,*
*Eadem dicta eademque oratio æqua non æquè valet.*

* * * * *

*Hoc erit tibi argumentum ſemper in promtu ſitum:*
*Ne quid exſpectes amicos, quod tutè agere poſſies.*

* * * * *

*Neminem vidi qui ſciret, quique ſciat, quod eſt opus.*

* * * * *

*Dulcem aquam bibat ſalubrem, ſæpe & eſit flebile.*

* * * * *

*In quibus* (villis) *Libyſſa citrus faſciis cingit fores:*
*Atque ubi graves aluntur paſcuis pavûm greges.*
*Vel decem menſes ubi una ſepiant granaria,*
*Vincis ubi ampla cella, torculare Pœnicum.*

* * * * *

*Liberâ lingua loquemur, ludis Liberalibus.*

* * * * *

*Sperne mores tranſmarinos, mille habent offucias:*
*Cive Romano per Orbem, nemo vivit rectiùs.*
*Quippe malim unum Catonem, quàm trecentos Socratas.*

* * * * *

*Qui mali ſunt, non fuere matris ab utero mali:*
*Sed malos faciunt malorum falſa contubernia.*

* * * * *

— — — *Quique res magnas manu*
*Sæpè geſſit glorioſè, cuju' facta vivida*

*Nunc vigent, apudque gentes ſolus qui præſtat; ſuus*
*Lûm pater cum pallio uno quondam ab amicâ abduxerat.*

* * * * *

*Dum Africani voce divina inhiat avidis auribus,*
*Dum ad Furium ſe cœnitare & Lælium, pulchrum putat,*
*Dum ſe amari ab hiſce credit, crebrò in Albanum rapi*
*Ob florem ætatis ſuæ, ad ſummam inopiam redactus eſt.*

* * * * *

*Scena quem ſenem Latina viderat diriſſimum;*

* * * * *

*Conſules fiunt quotannis & novi proconſules,*
*Solus at Rex, ac Poëta non quotannis naſcitur.*

* * * * *

*Tam malum eſt habere nummos, non habere quàm malum,*
*Tam malum eſt audere ſemper, quàm malum eſt ſemper pavor:*
*Tam malum eſt tacere multum, quàm malum eſt multum loqui.*

* * * * *

*Omnis mulier pectus intra celat virus peſtilens:*
*Dulce de labris loquuntur, corde vivunt noxio.*
*Tam malum eſt foris amica, quàm malum eſt uxor domi.*
*Nemo non hæc vera dicit, nemo non contrà facit.*

* * * * *

*Hæc quidem me hercle opinor, præfica eſt, quæ mortuum*
*Sic collaudat.*

* * * * *

*Non mammoſa, non annoſa, non biboſa, non procax.*

* * * * *

*Sic mihi cùm tetulit coronam ob collocandas nuptias,*
*Tibi ferebat: cùm ſimulabat ſeſe eam alteri dare,*
*Tum ad te ludibunda doctè & delicatè detulit.*

* * * * *

*Lena delinita argento nutus obſervat meos.*
*Quid velim, quid ſtudeam: adveniens digito impellam januam,*
*Mox patebit: de improviſo Chryſis ubi me adſpexerit,*
*Alacris obviam mihi veniet, complexum exoptans meum,*
*Mihi ſe dedet. Fortunam ipſam anteibo fortunis meis.*

* * * * *

*Quando ponebam novellas arbores mali & pyri,*
*Cortici ſummæ notavi nomen ardoris mei:*
*Nulla fitque exinde finis vel quies Cupidinis.*
*Creſcit arbor, gliſcit ardor, ramus implet litteras.*

* * * * *

*Sonticam eſſe cauſam oportet, perdat ob quam fœminam.*

* * * * *

*Lacte candidum papillâ cùm fluit, ſignum putant*
*Partuis, quod hic ſequatur mulierem è partu liquor.*

* * * * *

*Iſtiuſmodi parentum eſt vita bilis liberis,*
*Sicubi malunt timeri, quàm vereri ſe à ſuis.*

* * * * *

*Nempe ii ſunt verè inimici peſſimi fronte hilaro,*
*Corde triſti, ut adprehendas quos neque, aut mittas, ſcias.*

* * * * *

Ante-

*Anteſignani quadratis multis tecti inſignibus,*
*Quos ſequuntur cum rotundis velites parmis leves.*

* * * * *

Hujuſmodi multæ, in triumphis præcipuè cantari ſuetæ ſtrophæ, apud bonos Auctores occurrunt. Veluti militum pueri balliſtea & ſaltatiunculas tales compoſuerunt *in Aurelianum* apud *Fl. Vopiſcum:*

*Mille, mille, mille, mille, mille, decollavimus.*
*Unus ille Aurelianus mille decollaverat.*
*Ille mille vivat annos, ille mille occiderat!*
*Tantum habebit nemo vini, quantum fudit ſanguinis.*
*Mille Francos, Sarmatáſque mille junctim occidimus.*
*Mille, mille, mille, mille, mille Perſas quærimus.*

Cui haud abſimilis eſt muliebris chori ovatio in ſacris *I. REGUM cap. XVIII. verſu* 7.

*Mille Saül percuſſit hoſtes, dena David millia.*

Quippe cantiunculæ hujuſmodi trochaicæ plerumque fuere, quales & iſtæ *in C. Cæſarem. V. Sueton.*

*Gallos Cæſar in triumphum duxit, inde in Curiam.*
*Galli brachas depoſuerunt, latum Clavum ſumpſerant.*

Item in eumdem Joca militaria v. *Barth. lib.* 47. *cap.* 23.

*Urbici ſervate uxores: mœchum calvum adducimus.*
*Aurum in Gallia effutuiſti; hîc ſumſiſti mutuum.*

* * * * *

*Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem.*
*Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias:*
*Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.*

Et in eumdem, ſtatuæ ipſius ſubſcriptum:

*Brutu' qui Reges ejecit, Conſul primò factus eſt:*
*Hic qui Conſules ejecit, Rex poſtremò factus eſt.*

Item *in Sergii Galbæ* ſeveriſſimam diſciplinam;

*Diſce miles militare, Galba eſt, non Getulicus.*

* * * * *

# FINIS.

# AUSONII
## CUPIDO CRUCI ADFIXUS,
# EIDYLLION,
CUM
## NOTIS
MARIANGELI ACCURSII,
ELIAE VINETI,
PETRI SCRIVERII,
ET
ANONYMI:
*Acceſſere ad Calcem*
JOSEPHI SCALIGERI
ET
GASPARIS BARTHII
Capita, quibus hoc Opuſculum illuſtrarunt.

# BIBLIOPOLA
# LECTORI
## S.

QUÆRENTI *mihi numquid poſſem novi edere, aut certè in lucem iterum trahere, quod eruditis & elegantioribus hominibus non diſpliceret; indicatum mihi eſt* PERVIGILIUM VENERIS, *quale à* P. SCRIVERIO *editum fuerat. Sed quum hoc jam typis deſcriptum eſſet, tenuitas voluminis effecerit ut ei addendum putarem* AMOREM CRUCIFIXUM, *quod in eadem collectione Scriveriana erat, cum notis* MARIANGELI ACCURSII, ELIÆ VINETI & PETRI SCRIVERII, *ad quas accedebat Cap. XVIII. Lib. II. Lectionum Auſonianarum* JOSEPHI SCALIGERI. *Hæc omnia iterum hîc vides, acceſſerúntque præterea paucæ notulæ* ANONYMI, *quæ cum ceteris ſunt contextui Auctoris ſubjectæ, & Caput VII. Lib. XII. Adver-*

*ſariorum* Gasp. Barthii, *quo hoc Poëma illuſtrat. Notas omnes ſub ipſo contextu videbis, quæ cùm eſſent ſat prolixæ, ad calcem rejiciendas putavi* Scaligeri & Barthii *animadverſiones. Elegantiſſimum eſſe & ingenioſiſſimum hoc Poëma audivi dicentes homines, qui de rebus ejuſmodi certum judicium ferre poſſunt; & qui etiam nihil eſſe hîc contra bonos mores me docuerunt. Quare tibi etiam, Lector, quin placiturum ſit non dubito.*

Hagæ Comitis Idibus Martiis anni M D CC XII.

# AUSONIUS GREGORIO FILIO SALUTEM.

1. AN umquam vidiſti nebulam pictam in pariete? Vidiſti utique & meminiſti. 2. Treveris quippe,

1. *AN umquam &c.*] Manuſcripti Codices, *En umquam.* Qui modus percontandi vel Terentio eſt proprius. Imitationem alioqui de Terentio Plautoque in Præfatiunculæ ipſius argumentum ſibi ſumpſit. Quorum ſanè Poëtarum, ut & Flacci & Maronis, ſtudioſus, oppidoque imitator dignoſcitur. Plautus itaque in Menæchmis ait:

*Dic mihi: numquam vidiſti tabulam pictam in pariete,*
*Ubi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?*

Terentius autem in Eunucho:

*—— Virgo in conclavi ſedet,*
*Suſpectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura hæc, Jovem*
*Quo pacto Danaë miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum,* &c.

Quibus admoneri poſſe videbamur, *tabulam* non *nebulam* eſſe in Auſonio ſcribendum. Cæterùm cùm & in epiſtola ad Symmachum dixerit, *Hoc me velut aureus bractea fucus, aut picta nebula, non longius, quàm dum videtur, oblectat.* Cumque aliquid *tanquam per nebulam* videri, atque accipi, tum, *nebula inanius ac mollius* dicatur; putandum ſit fortaſsè, arbitratu ſuo, *tabulam* in *nebulam* Auſonium mutaſſe. Quando & in manuſcriptis exemplaribus ne ſpeciem quidem alterius lectionis hactenus invenimus. ACCURSIUS.

*Ibidem.*] Idem Auſonius ad Symmachum quarta epiſtola: *Me velut aërius bractea fucus, aut picta nebula, non longius quam, dum videtur, oblectat.* Illic an recte *nebula* ſcribatur, non ſatis mihi liquet, ſed hìc pro *nebulam* non dubito, quin *tabulam* legiſſet

pe, 3. in triclinio Æoli fucata eſt pictura hæc. Cupidinem

giſſet Eraſmus, ſi eorum in mentem veniſſet, quæ ex Plauti Menæchmis adducit Mariangelus. Sunt autem hæc:

*Dic mihi, numquid vidiſti umquam tabulam pictam in pariete,*
*Ubi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?*

Sic è proverbiorum albo eradendum illud, *Nebulam in pariete*, niſi alibi legerit Eraſmus, quo rem nihili & ſomnio ſimillimam ſignificari exiſtimavit. VINETUS.

*Ibidem.*] Repone quod in MSS. Codd. repperit Mariangelus Accurſius: *En umquam vidiſti nebulam* &c. Qui modus percontandi vel Terentio per eſt familiaris: ne Maronem, cujus ſtudioſiſſimus Vir Conſularis, alioſque in teſtimonium citem. Hallucinantur autem mirificè qui hîc *tabulam pictam* malunt ex Plauti Menæchmis, Actu I, Scena II. & Terentii Eunucho, Actu III, Scena V. Cujus lectionis ne minimum quidem veſtigium in membranis quibus uſus Mariangelus. Quid, quòd reclamet ipſe Auſonius, qui pictæ nebulæ alio item loco meminerit. Epiſtola ad Symmachum: *Hoc me velut aureæ bracteæ fucus, aut picta nebula non longius quàm dum videtur oblectat*: denique hîc *Aeris campos* depictos ait, & marcentes *nebuloſo lumine* flores, aliaque ejuſmodi. SCRIVERIUS.

2. *Treveris*] *Treviris* Tilianus Codex, de quibus in Claris Urbibus. VINETUS.

3. *Æoli.*] Pariſienſis liber, *Zoili*, & vetus Tilii codex. IDEM.

*In triclinio Æoli fucata eſt pictura.*] Tilianus codex, & Pariſienſis liber Jodoci Badii apud Vinetum, *in triclinio Zoili*. Melius, & probabilius; cùm *Æolus* infrequentius nomen ſit, quàm *Zoilus*. Quare ex veterum codicum fide ſcripturam hanc non gravatè admiſerim. Dominus illarum ædium Treviris, in quibus Triclinium illud quod exhibebat eam picturam, fuerit, non Æolus aliquis, à ventorum rege denominatus, ſed Zoilus. ZOILI nomen proprium bis terve occurrit in antiquis Inſcriptionibus. Appianus olim exhibuit hanc repertam Comi:

D. M.
C. MESSENI
ZOILI

COLLEG. DENDROPH
COMENSIVM.

Anno

dinem cruci adfigunt mulieres amatrices, non iſtæ de noſtro

Anno undeſexcenteſimo & milleſimo Tibure effoſſum marmor, cui inſcriptus crocodilus, & hæc Epigraphe:

DIS. MAN
AEL. ZOILVS
HIC. SITVS. EST
VIXIT. AN. LII.

A Guſenſtenio Gruterus pag. ꟾↃ CCCC. 9. Apud quem etiam illa ſuperior Inſcriptio, pag. CCCCXXXVIII, 2. Et pag. CCCII, 2. veteris tabulæ fragmento,

ANTISTIVS ZOILLVS.

Id eſt, ZOILUS. Nam L ſuperfluè geminatur: ut in QUERELLA pag. CCCCLXXX, 5. VELLIT pag. DCLXXII, I. OLLIM pag. DCXC, 5. pro *Querela*, *velit*, *olim*. Sic etiam ubi in veteri Romano Martyrologio, Adone, & Uſuardo, XXV Maji, legitur: *In Iſtria natalis SS. Zoelli*, &c. margini Uſuardi adſcriptum eſt, *Zoili*. Aliàs item Zoilus inter Sanctos. Ado in Martyrologio, XXVII Junii: *Cordubæ in Hiſpaniis natalis SS. Zoili & aliorum*: Eadem eodem die Uſuardus. Martyrologium Romanum non celebrat Cordubenſem Martyrem; ſed alium XXIV Novembris: *Romæ*, inquit, *Chryſogoni Martyris, & Zoili*. Uſuardus Zoilum præterit. Ado pluribus agit de Chryſogono, & Zoilum Chryſogoni *abſciſſum caput corpori ejus compaginaſſe* (verba Adonis ſunt) memoriæ prodit. Quin etiam Zoilus Grammaticus, unus ex Dipnoſophiſtis apud Athenæum. Ut nihil hîc dicam de nobiliſſimo Zoilo, qui Ὁμηρομάστιγος cognomen meruit. Cujus audax quidem, ſed parum felix mordacitas proverbio locum fecit, ut vulgo *Zoili* vocentur nobilium Auctorum obtrectatores & caſtigatores: vel Plinio teſte in operis ardui præfatione. Ad quem quoque adludit meus Hiſpanus in Epigrammatis: (lib. IV, 77.)

*Pendentem volo Zoilum videre.*

Hic Zoilus Amphipolites fuit. Scripſit varia: & inter ea, Grammatica quædam contra Homerum. Vide Suidam, & Ælianum Variar. lib. XI. cap. X. Ex Zoili cujuſdam ſcriptis mul-

noſtro ſeculo, 4· quæ ſponte peccant, ſed ille Heroïcæ, quæ ſibi ignoſcunt & plectunt Deum; quarum partem 5· in *Lugentibus Campis* Maro noſter enumerat. Hanc

ta Plinius in librum duodecimum Naturalis Hiſtoriæ tranſtulit: & apud eumdem lib. XII. Zoili Macedonis ſcripta citantur. Hic iſte Amphipolitanus creditur: Amphipolis enim urbs Macedoniæ. *Zoilus de Figuris* citatur à Phæbammone Sophiſta de Figuris, referente Bibliothecâ Geſnerianâ Tiguri auctâ. Alios atque alios poſſem recitare, ex Vitruvio & Clemente Alexandrino, & aliis. Et plura ſunt Martialis in Zoilum epigrammata. Sed de Zoilis plus ſatis: ne & ipſe Zoilos irritem. Abundè liquet ſcribendum eſſe apud Auſonium *Zoili*, pro *Æoli*.

Niſi quis malit, *Treveris in triclinio Solii.* Ut palatii triclinium intelligat: quamquam impropriè & minus uſitatè *Solium* pro *Palatio* dici poſſit. Ipſe Auſonius tamen alio loco ſic accepiſſe videtur:

*Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit,*
*Trevericæque urbis ſolium, quæ proxima Rheno,*
*Pacis ut in mediæ gremio, ſecura quieſcit.*

De Claris urbibus III. D. Ambroſius lib. V. Epiſt. XXVII. *Cùm perveniſſem Treveros, poſtridie proceſſi ad Palatium.* Treverorum urbem Pomponius Mela & Ptolemæus Auguſtam nominant. Data Treveris plura Auguſtorum Reſcripta; Conſtantini, Juliani, Valentiniani, Valentis, Gratiani, Valentiniani Junioris, Theodoſii, Arcadii. Et Ammianus Marcellinus lib. XV. *Treveros domicilium Principum clarum* ait. Vide eumdem lib. XXVII, XXIX, & XXX.

Vidi etiam, qui *in triclinii tholo* legendum conjecerat: quam conjecturam vix ægrè ferant, qui balnearum quidem tholos meminerint, non tricliniorum; ut quæ alio modo fuerint camerata. Ammianus lib. XXVIII: *Tholos introierint balnearum.* Atqui apud Martialem hoc Epigrammate, lib. II, 59.

MICA *vocor. Quid ſim, cernis. Cœnatio parva.*
*Ex me Cæſareum proſpicis, ecce, tholum;*
*Frange toros: pete vina: roſas cape: tingere nardo:*
*Ipſe jubet mortis te meminiſſe Deus.*

Accipiunt eruditiſſimi viri non Auguſti Mauſoleum, non Capitolium, non Flaviæ gentis templum, vel ædes Cæſaris, cum vulgo interpretum; ſed tholum interiorem ipſius Micæ, à quo pen-

Hanc ego imaginem ſpecie & argumento miratus ſum; [6] deinde mirandi ſtuporem tranſtuli ad ineptiam [7] poëtandi. Mihi, præter [8] lemma, nihil placet; ſed com-

pendebat cranium, quod convivas mortis admoneret, ut eo largius indulgentiuſque viverent. Vetus Gloſſarium: Θόλος, *teſtudo*. Suidas: Θόλος, *οἶκος περιφερὴς, καὶ τῷ οἱ πρυτάνεις ἑστιῶντο*, &c. Philander ad quartum Vitruvii hæc adnotavit: *Tholus eſt ædificii camera, quæ altius creſcens rotundâ formâ in faſtigiatum cacumen deſinit, à quo* Πάνθεον θολοειδὲς *ſcripſit Dion lib.* LIII. *Re enim verâ Pantheum eſt hemiſperio tectum, hoc eſt, circulatâ camerâ, inque medio hemiſphærio lumen ad circinum factum. Aliàs eſt teſtudinis umbilicus, id eſt, veluti ſcutum in medio tecto, quo trabes omnes conveniunt, ubi dona ſuſpendebantur, auctore Servio* IX. *Æneid.*

Quamquam poſſit nimis laxum videri & vagum de magna urbe loquentem referre in Triclinii tholo hoc aut illud pictum haberi. De villa aliqua tolerabilius ſit. Sine dubio itaque indicare voluit Auſonius Palatium Treverenſe; aut alicujus ædes in quibus illud Triclinium. Eum Zoilum adpellant veteres codices, non Æolum. Atque ita repone. SCRIVERIUS.

4. *Quæ ſponte peccant* &c.] Sic & illæ Heroïdes ſponte peccarunt, ſed jocatur *Auſonius*, dum hoc diſcrimen ſtatuit inter Heroïdas & ſui ævi mulieres; quaſi hæ ſponte peccarent, nec delicti quidquam, præter ſe, inſimularent; cùm veteres illæ amatrices peccata ſua Cupidini, aut Fato tribuerent, veluti alieno impulſu in amorem ruiſſent. At Cupido quidem nomen eſt adfectûs, qui intra amatricum pectus furit; Fatum verò merum figmentum. Vide ad verſ. 64. ſequentis Eidyllii. ANONYMUS.

5. *In Lugentibus campis.*] Virgilius ſexto Æneidos:

*Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem*
*Lugentes campi. Sic illos nomine dicunt.*
*Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,*
*Secreti celant calles, & myrtea circum*
*Silva tegit. Curæ non ipſa in morte relinquunt.* VINET.

6. *Denique mirandi.*] *Deinde mirandi*, codex Tilianus. IDEM.

7. *Poëtandi.*] Vox gerundi à deponente *Poëtor*: quo uſos veteres Latinos probat Priſcianus libro octavo. IDEM.

8. *Lemma.*] Argumentum, λῆμμα. Idem verbum in præfatione Parentalium, & in Iambico ad Probum. IDEM.

9. *Nævas*

commendo tibi errorem meum, 9. nævos noſtros & cicatrices amamus; nec ſoli noſtro vitio peccaſſe contenti, adfectamus ut amentur. Verùm quid ego 10. huic Eclogæ ſtudiosè patrocinor? Certus ſum quodcumque meum ſcieris, amabis, quod magis ſpero quàm ut laudes. 11. Vale.

9. *Nævos* &c.] Hoc adagio ſignificatur, turpitudinem noſtram, vitia, ineptias, nobis placere. *Nevum* autem, non *nævum* ſcripſit, puto, Eraſmus in proverbio, *E nævo cognoſcere.* Idem.

10. *Huic Eclogæ patrocinor.*] Defendo hanc meam eclogam. Eſt *ecloga* Græcum ἐκλογή. Quod exponit electionem vetus Gloſſarium: ſed quæ poëmata Theocriti εἰδύλλια, βυκολικὰque vulgo inſcribuntur, ac Virgilii Bucolica, hæc antiqui Grammatici *Eclogas* quoque vocant, veluti Servius in tertium, ſeptimum, nonum, eorum Virgilii carminum. *Eclogas* etiam Porphyrio vetus Horatii Commentator, Horatii nuncupat *Epiſtolas* & *Satyras*, in epiſtolam ſeptimam libri primi, & in Satyram tertiam, quinctam, ultimam ſecundi Sermonum: ac Auſonius *Odas* in præfatione Griphi. Hinc *Eclogarium* in titulo Dodecaſtichi de diebus ſeptimanæ. Idem.

11. *Vale.*] Addunt quidam libri, *ac dilige parentem.* Cæterum de hoc Auſonii Poëtæ filio Gregorio, quem pro *Gregorio Georgium* Jodoci Badii exemplaria nuncupant, legere licebit, quod monuimus in nonum carmen Parentalium. Idem.

CU

# CUPIDO
# CRUCI ADFIXUS.

AEris in campis, memorat quos Muſa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes;
Orgia

1. AEris in campis.] Elyſios inferorum campos ſic adpellat in extremo ſexto Æneidos Virgilius, verſ. 887. Vinetus.

*Ibidem.*] Vide Interpretes *Virgilii* ad locum. Reſpici crediderim aut ad ſententiam Philoſophorum quorumdam, qui inferos in *aëre* collocabant, ut Stoïci, de quibus vide *J. Lipſium* Phyſ. Stoïcæ Lib. III, 14; aut ad eos Mythologos, qui Plutonem aërem interpretabantur, ut *Phurnutus* de Nat. Deorum cap. v. Scriptor vitæ *Homeri*, pag. 326. Ed. Amſtel. *Heraclides* Ponticus in Allegoriis Homericis, ejuſdem editionis p. 442. Nec intereſt hæc non conſentire cum ceteris fictionis partibus, cùm non ſoleant Poëtarum ſomnia magis ſecum conſentire, quàm dormientium. Si hæc minùs placeant, hîc *aër* more Græco tenebras ſubterraneas ſignificabit; quamvis in Elyſiis Virgilianis non eſſent tenebræ, cùm *ſolémque ſuum & ſua ſidera noſſent.* Anonymus.

2. *Myrteus.*] Silva myrtea in iis, quæ modò adſcripſimus ex Virgilii ſexto Æneidos verſ. 444. Eſt Myrtus arbor ſacra Veneri. Virgilius in Meliboeo:

*Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho;*
*Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.*

Hic autem eſt, quæ παρίσωσις adpellatur Euſtathio, πάρισον & ὁμοιοτέλευτον Rutilio, Quinctiliano, Aquilæ. Sunt enim πάρισα, ſive ὁμοιοτέλευτα, vel ὁμοιοκατάληκτα *campis* & *Maronis*, *amentes* & *amantes*: qualia reperies multa paſſim. Cæterùm priores etiam Poëtæ eadem figura libenter uſi reperiuntur. Homerus in prima Odyſſeæ rhapſodia:

Ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρείδαο.

Virgilius in ſecunda Ecloga:

*Dixit Damœtas, invidit ſtultus Amyntas;*

Orgia ducebant Heroïdes, & ſua quæque,
Ut quondam occiderant, lethi argumenta gerebant.
Errantes ſilva in magna & ſub luce maligna,
Inter arundineáſque comas, gravidúmque papaver,
Et

Ovidius primo Faſtorum:

*Ora vides Hecates in tres vergentia partes.* VINETUS.

3. *Orgia ducebant.*] Pompam, nempe, in neſcio quo feſto die, veluti in honorem Deorum Inferorum. Genus loquendi eſt Virgilianum, Æneid. VI, 517. Vide *Servium* ad Æn. III, 303. ANONYMUS.

Ibid. *Heroides.*] Quas in epiſtola *heroïcas* adpellavit mulieres. VINETUS.

5. *Errantes ſilva in magna.*] Virgilius Æneid. VI, 451, & ſeqq. ANONYMUS.

7. *Sine labe lacus.*] Qui nemini obſcura explicuerunt non debuerant hîc tacere. Sed, niſi fallor, viſi ſunt ſibi intelligere quod non intelligebant. *Labes* hîc non vitium aliquod ſignificat, ſed devexam humi cavitatem, quâ lacuum aquæ continentur. *Cicero* de Divinat. Lib. I, 35. *Addidit Cœlius eo tempore ipſo, cùm hoc calamitoſum fieret prœlium, tantos terræ motus, in Liguribus, Gallia, compluribúſque inſulis, totáque Italia factos eſſe, ut multa oppida corruerint, multis locis* labes *factæ ſint, terræque deſederint.* Ibid. cap. 43. *Delata ad Senatum* labes *agri Privernatis, cùm ad infinitam altitudinem terra deſediſſet.* Igitur jocans *Auſonius*, ut ſignificet hæc eſſe ſomnia, ait eſſe illic *lacus, ſine labe*; hoc eſt, qui nulla cavitate terræ contineantur; quod perinde eſt ac montes, ſine declivitate. Sic & in ſequentibus ludit. IDEM.

10. *Mirator Narciſſus.*] Auſonii Epigramma XCV. de Narciſſo ſui ipſius amore capto:

*Si cuperes alium, poſſes, Narciſſe, potiri.*
*Nunc tibi amoris adeſt copia: fructus abeſt.*

De eodem Epigr. XCVI:

*Quod non ex hujus formâ pateretur amator;*
*Ipſe ſuam qui ſic deperit effigiem?*

De inſano Narciſſi amore, atque in florem ſui nominis transfor-
ma-

Et tacitos ſine labe lacus, ſine murmure rivos.
Quorum per ripas nebuloſo lumine marcent
Fleti olim regum & puerorum nomine flores,
Mirator Narciſſus & Oebalides Hyacinthus,
Et

matione, legendus Ovidius tertio Metamorphoſeon. VINETUS.

*Mirator Narciſſus, & Oebalides Hyacinthus.*] In Technopægnio, verſ. 69. & 70.

*Solamen tibi, Phœbe, novum dedit Oebalides flos,*
*Flore alio reus eſt Narciſſi morte ſacer fons.* IDEM.

*Ibidem.*] Si veterem Latinæ Linguæ uſum ſpectemus, poſt *mirator*, ſubaudiendum erit *ſui*; quòd ſe miraretur Narciſſus, de quo etiam *Ovidius* Metam. lib. III, 423.

*Cunctáque miratur, quibus eſt mirabilis ipſe.*

Sed dura eſt omiſſio τȣ̃ *ſui* & jam ante *Auſonii* ævum Latinitas priſca labaſcere cœperat, & in novum uſum deflectere, qui in Linguis à Latina derivatis etiamnum obtinet. Hinc quia qui *mirantur* quidpiam id diu contemplantur, atque ſubinde oculos eò convertunt; ideò *mirari* cœpit idem ſignificare ac *contemplari*, quod obſervavit *Claud. Salmaſius* ad hæc verba *Trebellii Pollionis* in Gallienis, pag. 179. *Uniuſcujuſque vultum, mirâ inhiatione, mirantes.* Sic Hiſpanicè hodie *mirar* & Italicè *mirare* eodem ſenſu dicimus, & Galli *ſe mirer*, de iis qui in ſpeculo ſe contemplantur; & ſpeculum *miratorium* vocant. Itaque, ne quid diſſimulem, Narciſſum *miratorem* dictum à noſtro putem, quòd ſe in fonte diutiſſimè ſpectaret, ut in ejus fabula narrat *Ovidius*. Itaque *Mirator Narciſſus* erit aut Gallicè *Narciſſe le mireur*, ſi modò Galli hac voce nos peregrinos uti patiantur, aut Hiſpanicè *Narciſſo el mirador*, Italicè, *il miratore*, nempe vultûs ſui. Sed prius malim, à Lingua Gallica petitum. Similes ſunt alibi voces, apud *Auſonium*, ut cùm præf. ad Griphum *burras* vocat quiſquilias. ANONYMUS.

Ibid. *Oebalides Hyacinthus.*] Oebali filius, Regis Laconiæ, quæ & Oebalia ab illo apud Virgilium, & Oebaliæ hinc Amyclæ in Epiſtolæ viceſimæ quinctæ verſu viceſimo ſexto. Hyacinthus autem Phœbi Apollinis amores, mutatur in florem libro decimo Metamorphoſeon Ovidii, & Crocus quarto. Adonidis vero cruor eodem decimo, & Ajacis tertio decimo. VINETUS.

Et Crocus auricomans & murice pictus Adonis;
Et tragico ſcriptus gemitu Salaminius Æas.
Omnia, quæ lacrimis & amoribus anxia mœſtis,
Exercent memores, obitâ jam morte, dolores,
Rur-

11. *Adonis.*] Sic vocat Anemonen, de nomine ejus, è cujus ſanguine nata fingitur. Vide *Ovidium* Metam. x. in fine. Anonymus.

12. *Et tragico ſcriptus gemitu.*] Αἲ αἲ, id eſt, *heu heu*, gementis, querentis, dolentis vox: quales in quibuſvis Tragœdiis frequentes, non ſolum in illis de Ajace. Qui autem Latinis Ajax, Græcis Αἴας, ἢ Αἴαντος, unde hîc *Æas*: quod nomen ex tragica illa voce αἲ αἲ geminata factum videtur: quam Hyacintho flori (in eum puer Hyacinthus primus, deinde Ajacis cruor converſus fuit) inſcripſit Apollo, dicente Ovidio:

*Non ſatis hoc Phœbo eſt. Is enim fuit auctor honoris.*
*Ipſe ſuos gemitus foliis inſcripſit: & αἲ αἲ*
*Flos habet inſcriptum, funeſtaque litera ducta eſt.*

Inter Heroum Epitaphia eſt Ajacis tertium. Salamis autem eſt inſula maris interni, patria Ajacis: unde *Salaminius.* Vinetus.

13. *Omnia, quæ lacrimis & amoribus anxia mœſtis,*
*Exercent memores, obitâ jam morte, dolores,*
*Rurſus in amiſſum revocant Heroidas ævum.*]

Ita emendavi. Aliter atque aliter hæc vulgò interpunguntur. Quid ſi legamus?

*Exercent memores: obitâ jam morte dolores*
*Rurſus in hoc miſſas revocant Heroidas ævum.*

Niſi per *amiſſum ævum* intelligendum ſit, elapſum, præteritum, & vetus. Atque ita nihil temerè mutandum. Scriverius.

16. *Fulmineos Semele.*] Hæc fuit filia Cadmi & Harmoniæ, auctore Heſiodo in Theogonia. Quomodo autem Jovis adulteri ignibus illa Baccho gravida arſerit, & ut,

*Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo*
*Eripitur, patrioque tener, ſi credere dignum eſt,*
*Inſuitur femori: maternaque tempora complet,*

Ovidius narrat tertio Metamorphoſeon. Vinetus.

17. Am-

Rurſus in amiſſum revocant Heroïdas ævum.
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet &, ambuſti lateris, per inania currens,
Ventilat ignavum ſimulati fulminis ignem.

Irri-

17. *Ambuſtas latera, per inania.*] *Inania latera, ignavum ignem, ſimulatum fulgur, mare ſine fluctibus, faces ſine igni, ſpeciem gladii inanem*, & alia, eadem dixit figurâ. Nam apud mortuos verarum rerum ſunt tantum umbræ, & effigies. Vereor tamen, ut ne hîc *latera* pro alio aliquo verbo ſit ſuppoſitum. IDEM.

*Ibid.*] Legendum omnino:

*Deflet, & ambuſtis laterum per inania cunis*
*Ventilat ignavum ſimulati fulminis ignem.*

Tò *fulminis* Mariangelus Accurſius obſervavit in Msc. Cod. cùm legeretur antea *fulguris*. Quod temerè fortaſſis non irrepſit, ſed genuinum ipſius Poëtæ eſt. Non enim nocentiſſimum fulmen Semelæ immiſſum, sed mitius quoddam, & ſecundum: referente Ovidio in hac Fabula, Metamorphoſ. lib. III.

— — *Ergo mœſtiſſimus altum*
*Æthera conſcendit, vultuque ſequentia traxit*
*Nubila, queis nimbos immiſtaque fulgura ventis*
*Addidit, & tonitrus & inevitabile fulmen.*
*Quà tamen uſque poteſt, vires ſibi demere tentat:*
*Nec quo centimanum dejecerat igne Typhœa,*
*Nunc armatur eo: nimium feritatis in illo eſt.*
*Eſt aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum*
*Sævitiæ flammæque minùs, minùs addidit iræ;*
TELA SECUNDA *vocant Superi. Capit illa, domumque*
*Intrat Agenoream.*

* *Latera per inania.* Vinetus inter alia ad hunc locum, *Vereor*, inquit, *ut ne hic* LATERA *pro alio aliquo verbo ſit ſuppoſitum.* Editiones quædam interjecerunt *hæc*: *latera hæc per inania.* Quæ nullam ſanè bonam ſententiam efficere monuerunt viri docti, leguntque:

— *ambuſtas lacerans per inania cunas.*

*Per inania* interpretantur *Aëris in campis.* Ad quæ Cl. Salmaſii

 hanc

Irrita dona querens, ſexu gaviſa virili,
Mœret in antiquam Cænis revocata figuram.

Vul-

hanc Notam cùm nuper in ſchedis meis reperiſſem; quî eam præterire aut diſſimulare potui? Sic igitur ille in ſuâ ad me Epiſtolâ:

Lacerare potiùs quàm redintegrare locum mihi videntur qui *lacerans* legunt. Neſcio etiam quid ſit *ventilare fulminis ignem*. An fulmen ut ignis vulgaris poteſt ventilari? Sed nec *ventilare* heic accipiendum pro ventulum facere, & flabello ignem excitare. *Ventilare* eſt in altum jactare, ut faciunt qui *ventilare arma* dicuntur Quintiliano: & *ventilare æſtivum aurum digitis ſudantibus* Juvenali. Nunc te judicem adpello, an non meliùs ſic reſtitui poſſit:

*Deflet, & ambuſtas latè per inania cunas*
*Ventilat ignavo ſimulati fulminis igne.*

Ventilat latè per inania cunas ambuſtas ſimulati fulminis ignavo igne. Hæc ille. Feſtiva admodum videtur acerrimi Boxhornii noſtri conjectura, ſub manu nata:

*Deflet, & ambuſtas iterum per inania cunas*
*Ventilat ignavo ſimulati fulminis igne.*

*Iterum*, nempe, in pictura. SCRIVERIUS.

*Ibidem.*] Satis quidem liquet nullum ineſſe ſenſum hiſce verbis, *ambuſtas latera per inania cunas*; nullus enim hîc eſt locus *cunis*, nec ullæ *ambuſtæ* dicuntur à Poëtis, cùm Bacchus utero Semeles eſt extractus, ut femori Jovis inſueretur; nec *latera inania* quidquam huc faciunt. Primùm peccatum eſt in voce *cunas*, quæ pro *currens* vitioſè ſcripta eſt; tum reliqua mutata, ut ſpecies quædam conſtructionis in oratione ſervaretur. Sed hoc voluit *Auſonius*: Semele, currens per inania (*inferorum*) ventilat ambuſti lateris ignem ignavum, qui erat ſimulata fulminis (*nempe, in inferis, ubi verum nihil, omnia ficta*) flamma. Jam nihil obſcurum ſupereſt; *currendo* enim *ventilatur* flamma, ab eo qui èam gerit. ANONYMUS.

Ibid. *Fulguris.*] Legendum, *fulminis*. Sic Manuſcripti Codices. ACCURSIUS.

19. *Sexu gaviſa virili.*] Solœciſmus videtur eſſe, *Caneus revocata*. Exemplaria vero Manuſcripta, *Cænis*. Fœmina enim prius fuerat Cænis nomine, Ovidius:

Clara

Vulnera ſiccat adhuc Procris, Cephalique cruentam
Diligit & percuſſa manum. Fert fumida teſtæ
Lumi-

*Clara decore fuit proles Elateïa Cænis.*

Idem:

*Tu mihi Cænis eris.* ——

Vel itaque legendum, *Cænis*: vel, (ut impreſſi habent quidam) *Cæneïs*. Ei namque fœminæ & *Cænis* nomen inditum & *Cæneis* fuiſſe conſtat. Gellius lib. IX. cap. IV. *Notiſſima illa veterum poëtarum de Cæneide & Cæneo cantilena.* Sed neque illud tranſiliero, quòd ſi vel *Cæneus* cuſtodiatur, videri poſſit ex Catulliana mimeſi, de Aty, quem genere virili, antequam eviretur, adpellat. Dein etiam muliebri. Hæc poſtea ab Neptuno compreſſa, ſexus mutationem impetravit ac *Cæneus* adpellatus eſt. Qui tandem pro Lapithis adverſus Centauros decernens, cùm invulnerabilis ſtupri penſatione factus foret, arboreis oppreſſus trabibus, in avem commutatus dicitur. Scribit Ovidius XII Metamorphoſ. Sunt qui eum dicant poſt mortem priſtinæ forma redditum. Ut Virgilius in VI. (quem ſequutus hîc noſter eſt:)

*—— Et juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus,*
*Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.* IDEM.

20. *Mœret in antiquam* &c.] In fœminam. Virgilius ſexto Æneidos:

*—— Et juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus*
*Rurſus, & in veterem fato revoluta figuram.* VINET.

*Ibidem.*] Epigr. LXIX. De iis quæ ſexum mutarint:

*Cænea convertit proles Saturnia Conſus.*

Cæneus Elati filius, Magneſius, auctore Hygino, primùm Cænis puella fuit; quam pro concubitus præmio, in virum transformavit Neptunus, Saturni filius. Ovidius duodecimo Metamorphoſeon, & Phlegon Trallianus de Mirabilibus & longævis. IDEM.

21. *Vulnera ſiccat adhuc Procris.*] Hanc in frutetis latentem, pro fera, Cephalus maritus interfecit. Fabulam narrant Ovidius, Hyginus, Servius in ſextum Æneidos. IDEM.

22. *Fert fumida teſtæ.*] Sunt qui legerint, *teſtem*. Hoc eſt

 conſciam

conſciam Herûs ac Leandri furtorum lucernam. Quod ſanè Poëta Muſæus ait:

Κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων.

*Occultorum teſtem lucernam amorum.*

Verum *teſta* figulinam etiam lucernam ſignificat. Quo genere innumeræ in Antiquorum monimentis etiamnum manent. Et Virgilius in Georgicis ait:

*Ne nocturna quidem carpentes penſa puellæ*
*Neſcivêre hiemem, teſtâ cum ardente viderent*
*Scintillare oleum.* —— ACCURSIUS.

*Ibid.*] Puella Ero, cui patria fuit Seſtos urbs Helleſponti in Aſia, & quæ ſe in mare præcipitavit ex ſumma turri, poſtquàm vidit Leandrum ſuum ex Abydo adverſi litoris oppido ſummerſum; hæc manu geſtat ſimulacrum fumantis facis, & ignium, illorum quos noctu ad ſe natanti Leandro, curſus dirigendi gratiâ, ſolebat ex ea ſua turri oſtendere. *Teſtas* dici vaſa terrea, adnotavimus in Epigramma ſeptuageſimum primum. *Teſtam* hoc loco vocat Auſonius, quem λύχνον, Muſæus. Fulgentius in Mythologicis id Latinè *Lucerna* dixit: & Marcus Varro libro quarto de lingua Latina *Lucernam* eſſe ſcribit, quod vocant Græci λύχνον. Vetus etiam interpres Græcorum Euangeliorum λύχνον *Lucernam* vertit, ac antiquum Gloſſarium. Hoc vas, ex quacunque materia veteres fecerint (nos hodie ferreis, æreis, ſtanneis, vulgo utimur) in id oleum infundebatur: & in oleum immergebatur illud, quod in lychno quia eſſet, id eſt, ἐν λύχνῳ, Græci ἐλλύχνιον, adpellarunt, ut Herodotus libro ſecundo de lucernis Ægyptiorum, pro quo Latinum non habeo, quod dem. *Funalium* id quidem exponit vetus Gloſſarium. Sed hoc vocabulum alibi non legi, & neſcio, quàm probum ſit. *Funale* fortaſſis ibi legendum. Quanquam *Funale* propriè dici video, apud Ciceronem & Valerium de Duilio, id genus facis, quod ex fune cera circumlito fit. *Ellychnion* ergo Græci vocant, quod ardet in lychno. Græcoque pro ſuo non timuit frequenter uti Plinius Naturalis hiſtoriæ auctor, veluti libro viceſimo tertio, cap. IV. *Ellychnia ex una fiunt claritatis præcipuæ.* Et viceſimo-octavo, cap. XI. *Optimè Ellychnio papyraceo, oleoque ſeſamino. Lucernarum lumen* interdum vertens, ut libro viceſimo primo de junco herba, cap. XVIII. *Uſus ad naſſas marinas, vitilium elegantiam, lucernarum lumina præcipua medulla.* Et viceſimo quinto de verbaſco alia herba, cap. X. *Tertia Lychnitis vocatur, ab aliis thryallis, foliis ternis, aut cumplurimùm quaternis, craſſis, pingui-*

*guibuſque, ad Lucernarum lumina aptis.* Quum hæc Dioſcoridis Græca interpretatur, Καὶ τρίτη φλομὶς, ἡ καλουμένη λυχνῖτις, ὑπὸ δέ τινων θρυαλλὶς, φύλλα τρία, ἢ τέσσαρα ἢ καὶ πλείονα ἔχουσα, παχέα, λιπαρὰ, δασέα, εἰς ἐλλύχνια χρησίμη. Ex quibus Plinii locis & aliis, cognoſces ex multis rebus ſemper fieri ſolita, ſed quæ nos hodie ex gloſſipina illa lanugine ferè faciamus. Dicebantur autem lychni δίμυξοι qui duas, τρίμυξοι qui tres, πολύμυξοι qui plures myxas haberent. Sic enim *myxas*, pro *myxos*, ſuſpicor legendum apud Valerium Martialem in Apophoretis, ubi *Lucerna* πολύμυξος hoc modo loquens inducitur:

*Illuſtrem quum tota meis convivia flammis,*
*Totque geram myxos, una lucerna vocor.*

Μύξος namque non invenio apud Græcos in ea ſignificatione; ſed μύξα, ut apud Suidam mentio fit lucernæ viginti myxarum. Eſt autem μύξα, mucus, humor è cerebro per nares defluens. Dicuntur & μύξαι, nares ipſæ, ut Pollux & Heſychius docent: unde per ſimilitudinem quandam myxæ lucernarum ſunt adpellatæ, prominentes lucernarum partes, ellychnium ſuſtinentes, vel ipſa adeo ellychnia ex iis naribus, muci inſtar, emergentia. A lychno vero, quod λύχνιον, & λυχνίαν, fecerunt iidem Græci, Latini *candelabrum* verterunt. Eſt à candela, quam ſuſtineret, dictum hoc, Varrone etiam auctore, ſed *candelabrum* quoque adpellatum, cui ſuperponebatur lucerna, ut in Euangelio Lucæ: *Nemo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubter lectum ponit, ſed ſuper candelabrum ponit: ut intrantes videant lumen.* Ex his Græcis, οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας, καλύπτει αὐτὸν σκεύει, ἢ ὑποκάτω κλίνης τίθησιν, ἀλλ᾽ ἐπὶ λυχνίας ἐπιτίθησιν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι βλέπωσι τὸ φῶς. Sed erant & lucernæ penſiles, ut primo Æneidos:

— *Dependent lychni laquearibus aureis*
*Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.*

Lampades autem illæ Euangelicarum virginum, quibus oleo quoque opus erat, tibi diſquirendum relinquo, quam diverſum genus erat à lucernis. Græcum eſt æque λαμπὰς, atque λύχνος, ſeu λύχνον: verùm eo perlibenter uſi ſunt Latini omnes ſcriptores pro ſuo, & *facem* exponit antiquum Gloſſarium. VINETUS.

*Ibid.*] Notat Mariangelus quoſdam legiſſe, *fert fumida teſtem* L. Hoc eſt, conſciam Herûs ac Leandri amorum lucernam. Λύχνον adpellat Muſæus. Ignoſcat amicus mihi Belga, alti vir ingenii, ſi ferre non poſſum, *fumida tædæ lumina.* Teſta figulinam lucernam ſignificat. Virgilius in Georgicis:

Lumina Seſtiaca præceps de turre puella.
Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur

Maſcu-

*Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ*
*Neſcivêre hiemem, teſta cùm ardente viderent*
*Scintillare oleum.* ——

Avienus in Prognoſticis Arateis:

*Et ſi nocturnis ardentibus undique teſtis*
*Concreſcant fumi, ſi flammeus emicet ignis*
*Effluus.* Arato λύχνα.

Prudentius Cathemerinon v. Hymno, Ad incenſum cerei Paſchalis, ſive, Ad incenſum lucernæ:

—— *ſeu cava teſtula*
*Succum linteolo ſuggerit ebrio:*
*Seu pinus piceam fert alimoniam.*

Lampades & teſtæ ejuſmodi figulinæ exſtant innumeræ apud Antiquarios, quotidieque effodiuntur. Poſſum ego aliquot oſtendere: longe plures in Supellectile Romana Neomagi in Bataviâ & alibi erutas adcuratiſſimus Joannes Smetius. Et non ita pridem DE LUCERNIS VETERUM doctiſſimum Commentarium edidit clariſſimus Fortunius Licetus. Suſtine itaque emendandi pruriginem. SCRIVERIUS.

23. *Seſtiaca* &c.] Heronem omnes nominarunt, & Heroïdum numero habuerunt, ante *Joannem Harduinum* Jeſuitam Pariſienſem, qui in Nummis Populorum & Gentium vult ſerò fictam hanc fabulam (à Monachis neſcio quibus XIII ſæculo) è mala interpretatione nummi Abydenorum, in quo, pro Η ΡΩΜΗ ΑΝΔΡΟΣ, quibus ſignificabatur Helleſpontus unâ nocte viribus unius viri poſſe natando trajici, legerunt ΗΡΩ ΛΗΑΝΔΡΟΣ, confinxerúntque *Leandrum* & *Heronem*, fabulámque quæ de iis fertur. Crederem, ſi tum alter fuiſſet *Harduinus*, ſed unum omnia ſecula tulerunt, qui nummos ita interpretari ſuſtineret: ut unum fuit, ipſo judice, ſæculum, quo innumeri Scriptores Græci & Latini à Monachis Gallis fabricari, nemine animadvertente, poſſent. Sed febricitantis ſomniis irridendis tempus non teram, neque vocibus ἡ ῥώμη ἀνδρὸς tale quid ſignificari non poſſe oſtendere adgrediar. ANONYMUS.

24. *Leucate.*] *Leucates* per tertiam declinationem, & *Leucata* per primam, rupes, ſaxum, promontorium: unde in mare deſiliiſſe Sappho dicta, in epigramma nonageſimum. Virgilius tertio Æneidos,

Mox

Maſcula Lesbiacis Sappho peritura ſagittis.
Harmoniæ cultus Eriphyle mœſta recuſat,

Infe-

*Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis.*

*Leucas* etiam, ut Pallas, in eodem Epigrammate; & in verſu ducenteſimoquartodecimo Moſellæ, idem promontorium, & urbs. VINETUS.

25. *Maſcula.*] Ita adpellata Horatio in libri primi epiſtola pænultima. Non enim ſolùm viros illa, ſed etiam ut mas quiſpiam, in feminas femina exarſit. Alias adfert rationes ex Strabone & Horatii interpretibus Lilius Gregorius Gyraldus Ferrarienſis de Poëtis. IDEM.

Ibid. *Lesbiacis ſagittis.*] Amore Phaonis. Ad eum ſcribit apud Ovidium: qui, vel Plinio teſte, etiam è Lesbo inſula erat. IDEM.

26. *Harmoniæ cultus.*] Ita legendum, pro,

*Hermione cultus Eriphyles mœſta recuſat.*

Sic apud Heſiodum in Theogonia, Diodorum Siculum libro quarto, & alios Græcos. *Harmonia* hæc, & *Harmonie*, Martis & Veneris filia ex adulterio: quam Latina exemplaria in *Hermionen* fere corruperunt. *Cultus* autem, ſegmenta, & monile: quod eodem fuiſſe fato fortunaque cum equo Sejano, & auro Toloſano, memoriæ proditum eſt. Quiſquis enim illud habuit, poſſeditque, novo ac miſerando exitio ipſe cum ſua familia periit. Tale namque Veneris maritus Vulcanus,

*—— Ut priſca fides, Mavortia longa*
*Furta dolens, capto poſtquàm nihil obſtat amori*
*Pœna, nec ultrices caſtigavere catenæ,*
*Harmoniès dotale decus, ſub luce jugali,*
*Struxerat. ——*

Ejus itaque fatum, quæ prima illud collo induit, prima probavit ipſa Harmonia in ſerpentem cum viro Cadmo mutata: mox Semele, Jocaſta, & aliæ. Vide Statium Poëtam ſecundo Thebaidos, Athenæum ſexto, Rhodiginum libri duodecimi capite tertiodecimo. IDEM.

Ibid. *Eriphyle mœſta.*] *Mœſtamque Eriphylem* dixerat Virgilius ſexto Æneidos, illud ϛυγερὴν τ' Ἐριφύλην Homeri Odyſſeæ undecimi interpretans. IDEM.

Ibid. *Recuſat.*] Sed jam ſerò: quia eo fato & ipſa perierat.

Fabu-

Infelix nato, nec fortunata marito.
Tota quoque aëriæ Minoïa fabula Cretæ,
Picturarum inſtar, tenui ſub imagine vibrat.
Paſiphaë nivei ſequitur veſtigia tauri.

Licia

Fabula ſic habet. Amphiaraus vates ſciebat, ſi ad bellum Thebanum proficiſceretur, ſe illic periturum. Occultavit itaque ſe conſcia Eriphyle uxore. Adraſtus autem rex Argivorum, quum generum Polynicen (de quo & fratre eſt Epigramma centeſimum & triceſimum,) in eo negotio adjuvare vellet, acceptum ab eo monile illud, ſorori Eriphylæ obtulit, ut indicaret maritum, quod lubens illa accepit; &, ut ait Sulpicius Lupercus in Elegia de avaritia, *latebras viri patefecit ſui.* Proficiſcens ergo ille ad id bellum, filio ſuo Alcmæoni mandavit, ut poſt ſuam mortem ſupplicium de matre ſumeret: quod fecit ille ſedulò. IDEM.

27. *Infelix nato.*] Alcmæone. A quo interfecta fuit ob proditum Amphiaraum: & qui poſtea furiis exagitatus fuit, quomodo Oreſtes. IDEM.

Ibid. *Nec fortunata marito.*] Amphiarao, quem apud Thebas abſorpſit terra. IDEM.

28. *Minoïa fabula.*] Quæ ad Minoëm regem Cretæ inſulæ aëriæ & altæ, pertinet: ut quæ ſit de Paſiphaë uxore, & filiabus Ariadne & Phædra. IDEM.

30. *Paſiphaë nivei.*] Ex Sileno Virgilii. IDEM.

*Ibid.*] Dædalus faber inſignis vaccam fecit ligneam, & veræ vaccæ corium induxit: in qua incluſa Paſiphaë, uxor Minois regis Cretæ inſulæ, à tauro fuit inita. Cujus infandum amorem illi Venus objecerat. Hyginus, Philoſtratus in Iconibus, Servius in ſextum Æneidos. Meminit idem Auſonius Epigr. LIX: & Epigr. LXV. Ad taurum, de Myronis buculâ;

*Quid me, taure, paras, ſpecie deceptus, inire?*
*Non ſum ego Minoæ machina Paſiphaæ.* IDEM.

31. *Licia.*] Fila. Androgeo filii mortem Minos ulturus, bellum intulit Athenienſibus, & vicit. Victis hanc ſtatuit pœnam, ut unoquoque anno ſeptenos liberos ſuos Minotauro (monſtrum hoc ex Paſiphaë & Tauro natum fuerat) edendos mitterent. Theſeus Athenienſis patriæ vicem dolens, in Cretam venit: cujus amore capta Ariadne Minois filia, docuit, quomodo *cæca regens filo veſtigia*, labyrinthum ingreſſus, Minotaurum interficeret; quod quum eſſet factum, Ariadne ejuſque ſorore Phædra raptis, victor Athenas rediit. Ariadnen tamen in Naxo, quæ & Dia, inſula, dormientem reliquit: unde eſt illa apud Ovidium

Ariad-

Licia fert glomerata manu deſerta Ariadne.
Deſpicit abjectas deſperans Phædra tabellas.
Hæc laqueum gerit, hæc vanæ ſimulacra coronæ.
Dædaliæ pudet hanc latebras ſubiiſſe juvencæ.

Præ-

Ariadnes ad Theſeum epiſtola. Fabulam narrant Hyginus, & Servius in ſextum Æneidos. IDEM.

32. *Deſpicit abjectas.*] Litteras, ni fallor, non quas ipſa, ſed quas ejus nomine ſcripſerat Ovidius. IDEM.

*Ibid.*] Theſeus Athenienſium rex patres habuit Deum Neptunum, & Athenarum Regem Ægeum; at matrem Æthram. Illi filius fuit Hippolytus ex uxore Hippolyta, ſive, ut alibi legitur, Antiopa. Quâ mortuâ, Phædram Minois Regis Cretæ inſulæ filiam duxit Theſeus. Hæc privignum ſuum egregiâ formâ juvenem, amore capta, marito abſente, de ſtupro interpellavit. Hippolytus, qui cunctarum alioqui mulierum commercium averſabatur, tantum ſcelus exhorruit. Quem contemptum Phædra impatientiùs ferens, litteras ad Theſeum dedit, quibus ab Hippolyto ſe per vim ſtupratam mentiebatur: & ſuſpendio ſe necavit. Theſeus litteris conjugis credidit: & quum non facilè poſſet ipſe de filio pœnas ſumere, patrem Neptunum rogavit, ut Hippolytum puniret. Neptunus itaque è mari phocam, vitulum marinum, immanem emiſit; cujus formâ & horribili mugitu, equi, quibus junctis Hippolytus ſecundùm mare vehebatur, territi, dominum ſuum diſtraxerunt. Diana autem quum Hippolytum propter caſtitatem unicè carum haberet, eum in vitam per Æſculapium fratris filium Apollinis revocavit: indeque Latini pro Hippolyto Virbium, quaſi Bis-virum, vocaverunt. Narratur autem hæc fabula de Hippolyto lib. xv. Metamorphoſ. Ovid. Euripidi, Senecæque in Tragœdia Hippolyto, Hygino, Servio, & aliis. IDEM.

Ibid. *Deſperans.*] Potiri amore Hippolyti privigni ſui. IDEM.

33. *Hæc laqueum gerit.*] Phædra:

*Phædra & Eliſa tibi dent laqueum, aut gladium.*

Phædra amoris impatientia ſe ſuſpendit, ut jam diximus. Eliſa Dido gladio incubuit. De quâ præter Auſonii Epigr. cxi. & ἀδέσποτον Anthologiæ lib. iv. Virgilius in Æneide. IDEM.

Ibid. *Hæc vanæ.*] Ariadne, quam à Theſeo in Dia relictam Liber duxit uxorem: eique hanc dedit coronam, quæ poſtea inter ſidera collocata eſt. Hyginus ſecundo Aſtronomicôn de Corona, & Philoſtrati εἰκόνες. IDEM.

34. *Pudet hanc.*] Paſiphaën. IDEM.

36. *Lao-*

Præreptas queritur, per inania gaudia, noctes.
Laodamia duas, vivi, functique mariti.
Parte aliâ truces, ſtrictis mucronibus, omnes,
Et Thysbe & Canace & Sidonis horret Eliſſa.
Conjugis hæc, hæc Patris, & hæc gerit hoſpitis enſem.
Errat & ipſa, olim qualis per Latmia ſaxa,
Endymioneos ſolita adfectare ſopores.
Cum face & aſtrigero diademate Luna bicornis.
Centum aliæ veterum recolentes vulnera amorum,
Dulcibus & mœſtis refovent tormenta querelis.

Quas

36. *Laodamia.*] Acaſti Theſſaliæ regis filia. IDEM.

Ibid. *Duas.*] Scilicet unam vivi mariti Proteſilai, quando cum aliis ille Græcis in Phrygiam navigavit, ubi omnium primus eſt interfectus, ſicut habet ejus epitaphium inter Heroica duodecimum: & alteram functi mortuique viri, quando Laodamia quum audiviſſet ipſum periiſſe, petiit à Diis, ut diem unum (ſic ſcribit Lucianus in dialogis mortuorum) vel tres horas (ita Hyginus) reviviſceret, quò videre, & colloqui ſibi liceret. Quod impetravit. Reliqua, & quo pacto ipſa ſe combuſſerit, ex Hygino cognoſces. IDEM.

38. *Thysbe.*] Thysbe Babylonia, propter Pyramum, quem amabat, qui ſe interfecerat, & ſe ipſa interfecit. Fabula eſt quarto Metamorphoſeon. IDEM.

Ibid. *Canace.*] Epigrammate octogeſimo tertio. Fuit hæc Æoli ventorum regis filia. Quæ miſſo à patre gladio ſe interfecit, quum ex ſuis & fratris nefandis amoribus concubituque natus puer eſſet. Hyginus. Canaces litteræ Macareo apud Ovidium. IDEM.

Ibid. *Sidonis.*] Sidonia, patronymicum. Vide Epigramma nonageſimum, & centeſimumundecimumque. IDEM.

39. *Conjugis hæc.*] Pyrami, Thysbe. IDEM.

Ibid. *Hæc patris.*] Canace, Æoli. IDEM.

Ibid. *Hæc hoſpitis.*] Dido, Æneæ. Ex quarto Æneidos. IDEM.

40. *Latmia ſaxa.*] Latmus, mons Cariæ Ciceroni in Tuſculana prima, Endymionis à Luna, ut ferunt, quondam adamati fabula nobilis. Nam Endymionem illic à Luna conſopitum putant, ut dormientem oſcularetur. Meminit Lucianus fabulæ cum alibi, tum in dialogo quodam Veneris & Lunæ, Eraſmus in proverbio *Endymionis ſomnus*, Hyginus, Fulgentius, Scholia vetuſta in quartum Argonauticôn Apollonii, & Auſonius ipſe rurſus in Ephemeride. IDEM.

Ibi

Quas inter medias, furvæ caliginis umbram
Diſpulit inconſultus Amor, ſtridentibus alis.
Agnovere omnes Puerum, memorique recurſu
Communem ſenſere reum; quamquam horrida circum
Nubila & auratas fulgentia cingula bullas,
Et pharetram & rutilæ fuſcarent lampados ignem;
Agnoſcunt tamen, & vanum vibrare vigorem
Occipiunt, hoſtemque unum, loca non ſua nactum,
Quum pigros ageret denſa ſub nocte volatus,
Factâ nube premunt trepidantem & caſſa parantem
Suffu-

*Ibidem.*] Videtur *Auſonius* hîc Ethnicam Mythologiam deſerere, qui Lunam ipſam inter Heroïdas in inferis agentes recenſet. Certè ſi quæ fuit Endymionis amaſia, mortalem eam fuiſſe oportuit, & Latonæ filia ejuſmodi ſine dubio fuit, ut & reliqui majorum gentium Dii. Sed hîc in fictione hærendum, ut videtur, fuerat, & conſentanea Poëticis figmentis dicenda. Alioqui reſpicere potuit noſter ad id quod habet *Heraclitus* de Incredibilibus cap. XXXVIII. de Endymione: *Λέγεται ὅτι, καθεύδοντος αὐτοῦ Σελήνη ἐρασθεῖσα, καταβᾶσα ἐμίγη αὐτῷ. εἴη δ' ἄν, ὁ μὲν Ἐνδυμίων ποιμὴν ἄπειρος γυναικὸς, ἐπιθυμητικῶς δ' ἔχουσα γυνὴ αὐτοῦ ἐρωτηθεῖσα παρά τινος τίς εἴη, ἔφη, Σελήνη. Aiunt illius dormientis amore captam Lunam, delapſam cœlo cum eo concubuiſſe. Potuit verò Endymion paſtor eſſe mulierem nondum expertus; mulier verò quæ ejus cupidine ardebat interrogata* (*παρά τινος à quodam* delendum crediderim) *quænam eſſet, dixit, Luna.* Quod non uſque adeò abſurdum eſſe oſtendere quidem hactenus, ſed res eſſet latiùs diducenda. ANONYMUS.

49. *Auratas fulgentia cingula bullas.*] Meo animo, ineptè ſic vulgò. Scriptum oportuit, *auratis bullis.* SCRIVERIUS.

51. *Vanum vibrare.*] Lego, *manuum vibrare vigorem*, vel *librare.* IDEM.

*Ibidem.*] Recepta lectio melior eſt. *Vanus vigor* hîc dicitur & reliqua omnia inferorum, quæ veris adſimilata ſunt, non vera. Et *vibrare vanum vigorem*, eſt vegeta membra videri movere, nec tamen quidquam proficere. ANONYMUS.

52. *Loca non ſua.*] Notum eſt militem *ſuo loco* dici pugnare, qui favente conſiliis, & opportuno ſibi loco pugnat; *non ſuo*, qui incommodo & ſibi adverſo. Inferi non erant locus Amori aptus, cùm, exceptis Plutone & Proſerpinâ, nemo illic amare crederetur. IDEM.

57. *In-*

Suffugia, in cœtum mediæ traxere catervæ:
Eligitur mœſto myrtus notiſſima luco,
Invidioſa Deûm pœnis. Cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proſerpina Adonin.
Hujus in excelſo ſuſpenſum ſtipite Amorem

De-

57. *Invidioſa Deûm pœnis.*] *Deûm pœnæ* ſunt pœnæ quas Dii de hominibus exigunt, ut *Virgilii* exemplo conſtat, qui Æneid. VI, 565. pœnas, quas improbi in Inferis patiuntur, *Deûm pœnas* vocat, ubi Sibylla interrogata ab Ænea, *quibus pœnis urgerentur* mali, reſpondet:

— *Me cùm locis Hecate præfecit Avernis,*
*Ipſa* Deûm pœnas *docuit.* IDEM.

Ibid. *Cruciaverat illic Spreta olim.*] Et hoc fingit *Adonim* poëta. VINETUS.

58. *Spreta olim memorem Veneris Proſerpina Adonim.*] Epigr. XXIX. *Adoneum*. Legitur & *Ædoneum* prima diphthongo, ut Ἀι-δωνεὺς ille, Epigrammate præcedenti. Eſt autem *Aidoneus* Pluto inferorum Deus, & quidem Moloſſorum Rex in extremo Theſeo Plutarchi: at *Adoneus* prima brevi, Adonis, ut mox docebimus. Platoni verò & Adonidi eadem adtribuuntur apud Macrobium primo Saturnaliorum, & in Hymnis Orphei; ut idem numen eſſe videatur, quare utro modo legas, non multùm interfuerit. Sed *Adoneum* primâ brevi malo, intelligoque, ut Lilius, Adonidum illum, Veneris deæ amores & delicias: quomodò apud Plautum in Menæchmis:

*Dic mihi, numquid vidiſti umquam tabulam pictam in pariete,*
*Ubi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?*

Natum autem Adonidem apud Sabæos gentem Arabiæ fabulatur Ovidius decimo Metamorphoſeon. Idemque numen eſſe Bacchum & Adonidem ex Plutarchi Sympoſiacis tradit Cælius Rhodiginus: atque δικέρως uterque adpellatur, Orpheo in Hymnis. Adonidis præterea meminit Auſonius in Glauciæ epitaphio, & in epiſtolarum quinctа ad Theonem. IDEM.

Ibid. *Adonin.*] De Adonide multò meliora memini me legere, Gallico ſermone, *Bibliothecæ Univerſalis*, Tomo, niſi fallor, ſecundo. Locum adeant quibus res erit cordi. ANONYMUS.

59. *Hujus.*] In hujus myrti alto ſtipite. VINETUS.

62. *Adſi-*

Devinctum poſt terga manus, ſubſtrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Adficiunt; reus eſt, ſine crimine, judice nullo,
Accuſatus Amor; ſe quiſque abſolvere geſtit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.

Cuncta

62. *Adficiunt*] Imò *Adfigunt*, ut conveniat lemmati ſuo Poëta, quod eſt, Cupido cruci adfixus. Scriver.

64. *Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.*] Quod emendatum jam eſt, *Transfert*, à veri ſpecie non abhorret. Vetuſti tamen exemplaris noſtri lectio ſincerior, *Transferat ut proprias alienà in crimina culpas.* Porrò particula, *Quiſque*, commutanda non videtur, licèt ad *Heroidas* hoc genere referri poſſe, non adpareat. Cùm enim & in Monoſyllabis (*Technopægnii verſ.* 112.) particulam *Quis* genere dixerit neutro,

*Quis fluitat pelago, quod non natat in fluvio? pix.*

adfirmaverim potiùs talia eo modo poſuiſſe eum, ut à Vetuſtioribus poni conſuevit. Ennius, *Quis tu es mulier?* Terentius in Eunucho, *Illarum neque quiſquam te novit.* Et Donatus ait, *Quiſquam* multis probari exemplis etiam fœminino genere Veteres protuliſſe. Ita ut in numeris & generibus hæc Prænomina infinita ſint. Priſcianus quoque ac Nonius ajunt, *Quis* & *Quiſquam* communis eſſe generis, auctoritate Veterum, ut apud Græcos. Ex Juriſconſultorum etiam ſententiâ, de Verborum ſignificatione, verbum hoc, *Si quis*, tam maſculos quam fœminas complectitur.

Hæc indidimus, vel ne cuilibet temerè immutandi facultas relinquatur in Monoſyllabo, *Quid*: hîc, *Quæque*. Vel ſi fortè ita potiùs, ut ſequutis temporibus dici cœptum, inter doctos emendandum convenerit, ne id quidem latuiſſe nos, adpareat. Accursius.

*Ibid.*] Legitur &, *Transfert & proprias.* Vinetus.

*Ibid.*] Hæc eſt vetuſti exemplaris ſcriptura, teſte Mariangelo; Mihi ſincerior videtur altera lectio:

— *Se quiſque abſolvere geſtit,*
*Transfert & proprias aliena in crimina culpas.*

Porrò particula *quiſque* commutanda non eſt in *quæque*: tametſi ad Heroïdas referri hoc genere vix poſſit. Eſt enim gnome Auſoniana, ad quoſvis ſpectans, non Heroïdas tantùm. In Epiſtola

 præ-

Cuncta exprobrantes tolerati inſignia lethi;
Expediunt, hæc arma putant, hæc ultio dulcis,
Ut quo quæque perît, ſtudeat punire dolorem.
Hæc laqueum tenet, hæc ſpeciem mucronis inanem
Ingerit, illa cavos amnes, rupémque fragoſam,
Inſanique metum pelagi & ſine fluctibus æquor.
Non-

præliminari ſimiliter: *Nævos noſtros & cicatrices amamus: nec ſoli noſtro vitio peccaſſe contenti, adſectamus ut amentur.* SCRIVERIUS.

*Ibidem.*] Videtur propemodum *Auſonii* in animo fuiſſe Dialogus, quem *Lucianus* fingit inter Æacum, Menelaum, Proteſilaum & Paridem. *Proteſilaus* iratus quòd iviſſet Trojam, uxore paullò antea ductâ, atque illic occiſus fuiſſet, ſtrangulabat in inferis *Helenam*, quæ calamitatis illius cauſa, ut putabat, erat; donec monitus ab *Æaco* ipſum *Menelaum* adgrederetur; à quo amandatur ad *Paridem*, qui flagitium ſuum refert ad Amorem, à quo invitus, ut ait, eò adductus erat: οἶσθα δὲ ὡς ἀκούσιόν τι ἐστι, καί τις ἡμᾶς δαίμων ἄγει ἔνθα ἂν ἐθέλῃ: *noſti autem*, inquit, *eſſe aliquid quod inviti facimus, & Deum quemdam nos agere quò vult.* Quibus auditis, volebat *Proteſilaus* Cupidinem ipſum comprehendere, ſi modò licuiſſet; ſed *Æacus* oſtendit ipſum ſibi cauſam fuiſſe immaturæ mortis, qui primus, nimiâ gloriæ cupiditate, in Trojanum ſolum, è navibus Græcorum, deſilire voluiſſet. Tum verò captus *Proteſilaus*, omiſſo Amore, Fato rem tribuit. Οὐ γὰρ ἐγὼ τούτων αἴτιος, ἀλλ' ἡ μοῖρα, καὶ τὸ ἐξ ἀρχῆς οὕτως ἐπικεκλῶσθαι: *Neque enim ego horum cauſa fui, ſed Parca, & quod ita ab initio neviſſet.* Quemadmodum faciunt tandem Heroïdes Auſonianæ. ANONYMUS.

65. *Tolerati inſignia leti.*] Gladios, laqueos, & alia, quibus ſe ipſæ interfecerant. VINETUS.

66. *Expediunt* ] Hæc depromunt, & adferunt in medium. IDEM.

73. *Myrrha* ] Mater Adonidis, decimo Metamorphoſeon in ſui nominis arborem mutata: quæ humorem ſuccumvè exſudat, ut pinus. Vide Dioſcoridem, Plinium, Ruellium. VINETUS.

Ibid. *Lugentibus.*] Sunt Codices qui ſervent, *vigentibus*, contra ſyllabæ rationem. Sed ſcribendum ſit fortaſſe, *lucentibus.* ACCURSIUS.

*Ibid* ] Jamdudum eſt, quod reſcripſeram, *lacrimis lucentibus*; ad myrrham ipſam & gemmea ſuccina reſpiciens. Et nunc animadverto in hunc Auſonii locum verba iſthæc adnotaſſe Mariangelum

Nonnullæ flammas quatiunt, trepidoque minantur
Stridentes nullo igne faces. Reſcindit adultum
Myrrha uterum lacrimis lugentibus, inque paventem
Gemmea fletiferi jaculatur ſuccina trunci.
Quædam ignoſcentum ſpecie, ludibria tantùm
Sola volunt, ſtylus ut, tenuis ſub acumine puncti,
Eli-

gelum in Diatribis ſuis. Sunt, inquit, codices qui ſervant, *lacrimis vigentibus*, contra ſyllabæ rationem: ſed ſcribendum fortaſſe, *lacrimis lucentibus*. Ecce, conſpirantem habeo eruditiſſimum virum. Nuper verò tentabam ex veſtigiis ſcriptæ lectionis, *lacrimis urgentibus*. Myrrha arbor abundantiâ & copiâ myrrhæ & lacrimarum adultum & diſtentum uterum rumpit, ſudâtque myrrham. Ovidius Metamorphoſeon lib. x. fab. ix.

*Cùm tandem terrâ requievit feſſa Sabæâ,*
*Vixque uteri portabat onus.*

Et poſt aliquot verſus,

*Jamque gravem creſcens uterum præcinxerat arbor,*
*Pectoraque obruerat, collumque operire parabat.*
*Non tulit illa moram, venientique obvia ligno*
*Subſedit, merſitque ſuos in cortice vultus.*
*Quæ quamquam amiſit veteres cum corpore ſenſus,*
*Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore guttæ.*
*Eſt honor & lacrimis ſtillataque cortice myrrha*
*Nomen herile tenet, nulloque tacebitur ævo.* &c.
*Dat gemitus arbor, lacrimiſque cadentibus humet.*

Legit apud Auſoniùm Cl. Salmaſius, *lacrimis ingentibus*. Et in epiſtola ſua ad me hoc eruditum ſcholion adtexit: Filius medici non potuit ignorare duo eſſe myrrhæ genera. Unum ἁδροβῶλον, alterum μικρόβωλον. Illud glebis ingentibus, hoc minoribus, cujus meminit Dioſcorides. At Myrrha hîc quæ lacrimas ſuas in lapidem congelatas, quæ ſuccina gemmea hîc vocat Auſonius, in Cupidinem erat jaculatura, grandioribus guttis præoptavit ſudare, ut plus mali, nempe, facerent Cupidini, quàm ſi parvas & μικροβώλυς jaculata eſſet. Ideo certè uterum laxavit grandioribus lacrimis, τοῖς ἁδροβώλοις, quia his vice ſaxorum impetere parabat Cupidinem. Hæc ille. Quare tempus eſt ut hujus emendationis, & triſtium ineptiarum deſinamus. SCRIVERIUS.


77. D.

Eliciat tenerum, de quo Roſa nata, cruorem;
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipſa etiam, ſimili genitrix obnoxia culpæ,
Alma Venus tantos penetrat ſecura tumultus,
Nec circumvento properans ſuffragia nato
Terrorem ingeminat, ſtimuliſque accendit amaris
Anci-

77. *De quo Roſa nata.*] Alii è ſanguine Veneris ipſius natas roſas fabulantur. Vide *Pervigilium Veneris* verſ. 23. & quæ ad eum Interpretes. ANONYMUS.

83. *Ancipites furias.*] Amori infenſas Heroïdas, ſed adhuc tamen dubitantes, an debeant ulciſci. VINETUS.

84. *Mariti.*] Vulcani. IDEM.

85. *Deprenſo Mavorte.*] In Gripho Ternario, verſ. 27.

*—— Ter clara inſtantis Eoi*
*Signa canit ſerus, deprenſo Marte, ſatelles.*

Martis cum Venere dormientis fabulam narrat Lucianus in Somnio, ſeu Gallo. Quidam quondam fuit Marti, Deo belli, in deliciis adoleſcens formoſus Ἀλεκτρύων. Sic gallum gallinaceum vocant Græci. Mars quotiens ad Venerem Deam Vulcani conjugem noctu veniebat, quia timebat Solem, ne ſe deprehenderet cum ea, & Vulcano nunciaret, Alectryonem ſecum adducebat. Eum foris ad oſtium jubebat obſervare, quum Sol emergeret. Ceterum quadam nocte ſomnus Alectryonem oppreſſit; nec adventantem Solem ſenſit, qui Martem cum Venere deprehendit. Rem Vulcano ſtatim renunciavit; qui accurrit continuò, retibus adulteros implicuit; & ſic vinctos, ceteris Diis ad id ſpectaculum convocatis, oſtendit;

*—— qui riſere, diuque*
*Hæc fuit in toto notiſſima fabula cælo,*

ut ſcribit Ovidius quarto Metamorphoſeon, verſ. 189. Suo itaque ſatelliti & excubitori Mars graviter ob iſtum veternum iratus, ex homine fecit avem, cum galea & criſta ſua, ceteriſque quibus tum excubabat armis. Ex eoque Martiales aves, miſeri, ſcilicet, illius Alectryonis genus, avito periculo & pœnâ ſapientes, vigilantiores fuerunt, diligentioreſque ad Solis adventum diis omnibus hominibuſque prænunciandum, diu ante quàm exoriatur. *Deprenſo marte*, in vetuſto Lugdunenſi libro: *depenſo Marte*, ſine *r.* [*Serus.* quum gallus olim ſerus & tardus fuit ad excitandum

Ancipites furias; natique in crimina confert
Dedecus ipſa ſuum, quòd vincula cæca mariti,
Deprenſo Mavorte, tulit, quòd pube pudendâ
Helleſpontiaci ridetur forma Priapi,
Quod crudelis Eryx, quod ſemivir Hermaphroditus,
Nec ſatis in verbis, roſeo Venus aurea ſerto
Mœ-

dum Martem cum Venere dormientem. Ita Silvius hoc intellexit ex fabula. IDEM.

86. *Helleſpontiaci* &c.] *Priapus fuit de Lampſaco civitate Helleſponti*, inquit Servius in Georgica, *de qua pulſus propter virilis membri magnitudinem, poſt in numerum Deorum receptus, meruit numen eſſe hortorum* Alii hunc tradunt Mercurii, alii Liberi, & Veneris filium. IDEM.

*Ibid.*] Hiſtoria, aut potiùs fabula huc faciens legitur apud Scholiaſten *Apollonii* ad Argon. Lib. I. verſ. 932. ANONYMUS.

87. *Eryx.*] Veneris & Butæ filius. Hyginus, Servius, Diodorus. VINETUS.

Ibid. *Semivir Hermaphroditus.*] Epigram. LXVIII. de iis quæ ſexum mutarint:

*Vidit ſemivirum fons Salmacis Hermaphroditum.*

Semimarem dixerat Ovidius, tantùm non mollem & enervum; ſed etiam qui utrumque gereret ſexum. Fuit hic Mercurii & Veneris filius:

*Cujus erat facies, in quâ matérque patérque*
*Cognoſci poſſet. Nomen quoque traxit ab illis.*

Nam Ἑρμῆς Mercurius, Ἀφροδίτη Venus Græcis nominatur. Ovidius libro quarto Metamorphoſeon ſic de Salmacidis & Hermaphroditi coïtu canit:

*Sic ubi complexu coierunt membra tenaci,*
*Nec duo ſunt, ſed forma duplex: nec femina dici,*
*Nec puer ut poſſit. Neutrumque & utrumque videtur.*

In eoſdem leguntur hæc epigrammata Auſonii, de Hermaphrodito, XCVIII:

*Mercurio genitore ſatus, genitrice Cythere,*
*Nominis ut mixti, ſic corporis Hermaphroditus.*

 *Con-*

Mœrentem pulſat puerum & graviora paventem.
Olli purpureum, mulctato corpore, rorem
Sutilis expreſſit crebro roſa verbere, quæ jam
Tincta priùs, traxit rutilum magis ignea fucum.
Inde truces cecidere minæ, vindictáque major
Crimine viſa ſuo Venerem fecere nocentem.
Ipſæ intercedunt Heroïdes & ſua quæque
Fune-

*Concretus ſexu, ſed non perfectus, utroque:*
*Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.*

De conjunctione Salmacis cum Hermaphrodito, epigr. XCIX:

*Salmacis optato concreta eſt nympha marito.*
*Felix virgo, ſibi ſi ſcit ineſſe virum.*
*Et tu, formoſæ juvenis permiſte puellæ,*
*Bis felix, unum ſi licet eſſe duos.*

Eſt autem Salmacis Nympha, & fons Cariæ, de quo Vitruvius lib. II. tibi legendus, cap. VIII. IDEM.

90. *Olli.*] Illi, Amori. IDEM.

91. *Sutilis roſa.*] Serto ex roſis facto, conſuto, intexto. IDEM.

93. *Inde.*] Viſo cruore. IDEM.

95. *Heroïdes.*] Dido, Phædra, & aliæ. IDEM.

96. *Crudeli malunt adſcribere fato.*] Quam puero Amori. IDEM.

*Ibid.*] Vide not. ad verſ. 64. Excuſatio hæc vulgaris rectè ridetur à *Luciano*, Apologiâ pro Mercede conductis, non procul ab initio: Ἆρά μοι κράτιστον ἐθελοκακήσαντα, καὶ τὰ νῶτα ἐπιστρέψαντα, καὶ ἀδικεῖν οὐκ ἀρνούμενον ἐπὶ τὴν κοινὴν ἐκείνην ἀπολογίαν καταφυγεῖν; λέγω δὲ τὴν Τύχην καὶ Μοῖραν καὶ Εἱμαρμένην καὶ παραιτεῖσθαι συγγνώμην ἔχειν μοι τοὺς ἐπιτιμῶντας, εἰδότας ὡς οὐδενὸς ἡμεῖς ἐσμὲν κύριοι, ἀλλ᾽ ὑπό τινος κρείττονος. μᾶλλον δὲ μιᾶς τῶν προειρημένων ἀγόμεθα ΟΥΚ ΕΚΟΝΤΕΣ, ἀλλ᾽ ἀναίτιοι παντάπασιν ὄντες ἃ ἂν λέγωμεν ἢ ποιῶμεν; *An optimum fuerit ut ego ſponte ignavus, dato tergo, nec improbitate negatâ, ad communem illam excuſandi rationem confugiam? Ad Fortunam, inquam, ad Parcam & Fatum, & veniam ab iis qui me objurgant deprecer; ut qui non ignorent nos nullius rei eſſe dominos, ſed à potentiore, aut potiùs ab uno ex prædictis, agi* NON VOLENTES, *ſed prorſus in iis, quæ dixerimus, aut fecerimus, innocentes?* Sic ſe gerentes inducit ſuas Heroïdas *Auſonius.* ANONYMUS.

97. *Pia*

Funera crudeli malunt adſcribere fato.
Tum grates pia mater agit ceſſiſſe dolentes,
Et condonatas puero dimittere culpas.
  Talia nocturnis olim ſimulata figuris
Exercent trepidam caſſo terrore quietem;
Quæ poſtquàm multâ perpeſſus nocte Cupido
Effugit, pulsâ tandem caligine ſomni,
Evolat ad ſuperos, portáque evadit eburnâ.

97. *Pia mater.*] Venus, mater Cupidinis. VINETUS.

*Ibid.*] Mitis, manſueta. Propria hæc ſignificatio vocis *pius*, ut alii notarunt. ANONYMUS.

100. *Talia nocturnis* &c.] Talia ſomniamus, quæ *ſimulant*, hoc eſt, agere videntur, aut etiam *adſimilant*, vel *adſimulant*, ſimulacra quæ dormientibus obverſantur. IDEM.

101. *Quæ poſtquàm multa* &c.] Quaſi Cupido ipſe hæc ſomniaſſet. Fictiones fictionibus tegit noſter, ne perpluant, ſcilicet, ut ille ait, de mendaciis. IDEM.

103. *Portáque evadit eburnâ.*] Hemiſtichium Virgilianum, ex fine ſexti Æneidos. Virgilii enim imitatione, omnia, quæ hic rettulit, ficta & falſa eſſe intelligi vult. Homerus autem Odyſſeæ τ, & ab eo idem Virgilius, duas fecit ſomniorum portas: quas nominavit etiam idem Auſonius in extrema Ephemeride, Corneam & Eburneam:

*Divinum perbibent vatem, ſub frondibus ulmi*
*Vana ignavorum ſimulacra locaſſe ſoporum,*
*Et geminas numero portas. Quæ fornice eburno*
*Semper fallaces glomerat ſuper aëra formas:*
*Altera, quæ veros emittit cornea viſus.* VINETUS.

# JOSEPHI SCALIGERI AUSONIANARUM LECTIONUM

## LIBRI II. CAPUT XVIII.

IN Præfatione in Cupidinem cruciatum: *An umquam vidiſti nebulam pictam in pariete?* Studioſus imitator Plauti ubique Auſonius. Nam & hoc quoque ex Menæchmis Plauti imitatum:

*— Numquid tu vidiſti tabulam pictam in pariete,*
*Ubi Aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adaneum?*

In ipſo Poëmate ſuſpecta mihi ſunt illa: verſ. 17,

*— & ambuſtas latera hæc per inania cunas.*

Sanè nullam bonam ſententiam efficiunt. Quare puto legendum:

*— & ambuſtas lacerans per inania cunas*
*Ventilat ignavum ſimulati fulminis ignem.*

*Per inania*, hoc eſt, Aëris in campis. Sequitur paullò pòſt, verſ. 24:

*Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur*
*Maſcula Lesbiacis Sappho peritura ſagittis.*

Menander de eadem:

— Τὴν ὑπέρκομπον
Θηρῶσα Φάων' οἰστρῶντι πόθῳ
Ῥίψαι πέτρας ἀπὸ τηλεφανοῦς.
Ἀλλὰ κατ' εὐχὴν σὴν δέσποτ' ἄναξ.

Ita

Ita enim legendum apud Strabonem, & diſtinguendum. *Maſculam* vocat, quia, cùm fœmina eſſet, præcipitem ſe dedit ex illo ſaltu, ex quo tantum ſolebant viri ſeſe impatientiâ amoris jaculari. Nam propterea dicebatur locus ille, ἅλμα τῶν ἐρώντων, non ἅλμα τῶν ἐρωσῶν. Unde *ſaltus virilis* vocat Statius: Horatius, & Auſonius noſter vocant eam *maſculam*. Nam ſanè doctiſſimus Turnebus id non videtur ſatis adſecutus eſſe. Primus omnium, ut ait Strabo, Cephalus ex ea petra ſeſe præcipitavit, cùm Ptaolan impatienter amaret. Sed concedant mihi lectores, paulùm ex Auſonianis caſtigationibus reſpirem, & quædam de Leucate petra, & de ſaltu illo dicam, numquam antehac audita, ex auctore nondum in vulgus edito, Ptolemæo filio Hephæſtionis ἐκ τῆς εἰς πολυμάθειαν καινῆς ἱστορίας. Apud illum igitur quæritur, cur apud Bacchylideh Silenus dixerit, Leucada à Leuco Ulyſſis filio cognominatam fuiſſe: qui Zacyntho erat, & ab Antipho interfectus fuit. Eum igitur Leucatæ Apollinis templum condidiſſe. Ibi petram eſſe vicinam Leucadem, à qua qui ſaltu ſe mitterent, amoris inſaniâ liberari. Cauſſam hanc ex media hiſtoria adſignat: Venerem, ſcilicet, poſt mortem Adonidis ſedulò eum ubique terrarum perquiſiviſſe: tandem eum Argis Cypri in æde Apollinis Erithii inveniſſe. Et cùm impotentiam amoris ſui Apollini patececiſſet, ab ipſo ad Leucadem petram deductam juſſu Apollinis ſeſe è ſpecula deorſum miſiſſe. Quo facto, morbo amoris defunctam fuiſſe. Cùm cauſſam rei quæreret: Apollinem reſpondiſſe: ſeſe crebrò obſervaſſe, Jovem, quoties Junonem impotenter deperiret, ibi ſolum ſedere, & vi mali levari. Sed & Artemiſiam illam, poſt viri Mauſoli mortem, contemptam à Dardano Abydeno, quem non patienter ardebat, dormienti adoleſcenti oculos effodiſſe. Cùm tamen ne hac quidem injuriâ morbus remitteret, remedium à petra quæſiviſſe. Sed fruſtra fuit. Nam ex eo ſaltu periit: ibique ſepulta fuit. Similiter & Hippomedontem Epidamnium, propter amorem pueri neſcio cujus, ſeſe ex eadem petra jeciſſe. Sed nihilominus ipſum periiſſe. Refert & de Nicoſtrato Comico, eo ſaltu levatum amore Tettigidææ Myrinenſis. Addit Maceten Buthrotium Λευκοπέτραν vulgò cognominatum fuiſſe, quòd quater eum ſaltum expertus eſſet: & quater hoc remedio amore caruiſſet. Innumeros præterea idem expertos. In his ſenem Bulagoran Phana-

goriten, cùm amaſſet Diodorum tibicinem. Rhodopen etiam Emiſſenam, quæ geminos fratres ex ſatellitio Antiochi Regis amabat, cùm viciſſim ejus ab illis nulla ratio haberetur, animi impotem ſeſe jeciſſe, & animam edidiſſe. Adoleſcentibus nomina erant Antiphonti, & Cyro. Charinus vero Iamborum Poëta amavit Erotem Regis Eupatoris à poculis. Et cùm fabulæ de ſaltu Leucadis fidem haberet, ſeſe præcipitem miſit: & crure fracto doloris cruciatibus periit. Ac inter efflandum animam hos lepidiſſimos ac elegantiſſimos Iambos in medium jecit:

Ἔρροις πλανῆτι, καὶ κακὴ πέτρη Λευκάς.
Χαρῖνον αἲ αἲ τὴν ἰαμβικὴν μοῦσαν
Κατηθάλωσας ἐλπίδος κενοῖς μύθοις.
Τοιαῦτ' Ἔρωτος Εὐπάτωρ ἐρασθείη.

Quin & Nereum quemdam Carinenſem ex amore Atticæ nomine mulieris Athenis natæ ſeſe præcipitaſſe. Et non ſolùm amore ſolutum fuiſſe: ſed etiam vivum incidiſſe in rete jaculum, in quo ſimul cum riſco auri pleno in terram extractus fuit. Cùm eo nomine piſcatori, qui ſe extraxerat, litem intenderet, aurum illud ad ſe pertinere: caſu enim ſibi obveniſſe: noctu ab Apolline admonitum incepto deſtitiſſe. An non ſatis haberet, quod citra vitæ periculum à morbo amoris liber eſſet? quare, ſi ſaperet, de alieno auro litem ne moveret. Hæc ego, quia jucunda ſunt, ut ſpero, neque tamen in vulgi notitiam pervenerunt, præterea neque ab hoc loco aliena erant, quaſi corollarium adjicere volui, ut nihil, quod ad Poëtam noſtrum illuſtrandum faceret, intentatum relinqueremus.

CASPA-

# CASPARIS BARTHII ADVERSARIORUM

## LIBRI XII. CAPUT VII.

### ARGUMENTUM.

*Laus* Auſonii. *Fucatus*, *pictus*. *Gloſſa in* Auſonio. *Ai*, *αἴ*, *Græcum*. *Laterum inania*. *Inſtar*. *Adfectare*. *Adfectatio*. Tertullianus *illuſtratur*. *Laus* Heraldi. *Inactus*. *Cavus pro vacuo*, *nullius rei*. *Apud* Auſonium *Cupido crucifixus multis locis illuſtratur & emaculatur*.

QUOD de Auctoribus, qui in omnium manibus verſantur, modò diximus; eſſe eos etiamnum ſatis procul ab emendatis, ejus negotii nobis fidem dabit etiam *Auſonius*; cujus Poëtæ ingenium, ad nihil non aptum, ſummum in his litteris *Joſephum Scaligerum*, fato quodam, ſibi conciliavit; ita tamen ut, poſt eum, aliis etiam favere non nolit.

Cupidinem crucifixum his mihi locis conſidera; Præfatione: *Treviris*, *in triclinio Æoli*, *fucata eſt pictura hæc*. In Libris fuit *Zoili*, quod ego ſanè, argumento hujus carminis & picturæ, non paullò convenientius arbitror; nimirum, ab ingenio *Zoili* infeſti fabulatorum principi *Homero*. *Fucata* eſt picta, nam *fucare* pingere illi ævo. *Paulinus* Natali VIII.

> *Nunc volo picturas fucatis, agmine longo,*
> *Porticibus videas.*

Idem:

> — *ſi fortè adtonitas hæc per ſpectacula mentes*
> *Agreſtum caperet fucata coloribus umbra.*

Mox: *Cupidinem cruci adfigunt mulieres amatrices*; *non hæ*, *de noſtro ſeculo*, *quæ ſponte peccant*; *ſed illæ Heroïcæ*, *quæ ſibi ignoſcunt & plectunt Deum*. Argutè certè, hoc dictum. Veteres enim culpam Cupidini dant, illæ ſuâ culpâ gavi-

ſæ ne accuſant quidem alium quempiam. Idem de Heroïnis infra verſu LXIII.

Mox: *Sed commendo tibi errorem meum. Nævos noſtros & cicatrices amamus, nec ſoli, noſtro vitio, peccaſſe contenti, adfectamus ut amentur.* Alterum ex his, vel *noſtro vitio*, vel *peccaſſe* olet gloſſam admodum in talibus frequentem, ut vel exemplis iis diſcere potes, quæ *Muretus* in variis collegit. Legas: *nec ſoli peccaſſe contenti. Noſtro vitio* neſcio annon vitio additum ſit.

[At tu nihil deme, neque enim omnia ſuperflua pro *gloſſis* habenda. Alioqui non pauca loca, non in *Auſonio* tantùm, ſed in omnibus omnino Scriptoribus eſſent decurtanda. Nemo ita loquitur, nihil ut ſuperfluum dicat. *Gloſſæ* præterea, explicationis causâ, adduntur obſcuræ orationi, aut voci, non perſpicuæ. ANONYMUS.]

Nec tamen adfirmo, ſed, quæſo te, quid opus *noſtro vitio*, cùm omnia ad nævos & cicatrices referuntur?

[*Noſtro vitio*, ſi vis, additur, ut opponatur delictum ita commiſſum delictis, in quæ pravis exemplis delabimur. Sed non ita ſunt omnia ad vivum reſecanda, præſertim in familiari Epiſtola. ANONYMUS.]

In fine hujus Epiſtolæ, mendum eſſe videtur: *certus ſum quodcumque meum ſcieris amabis, quod magis ſpero quàm laudes.* Quâ ratione hoc ſcriptum ſit, vix videbit etiam Lynceus. Cur minùs ſperabit laudari, quod amandum obtrudit? Scripſit, Ædepol, *Auſonius: quod magis ſpecto quàm ut laudes.* Adeò non diſſimulat terſum laudis ambitum, ut alterum magis ſpectans, acutè & huic locum, velut inferioris gradûs, relinquat.

[Nihil muta. *Auſonius* magis ſperabat *amorem, quàm laudes*, quia ludos amicorum quamvis non *laudemus*, *amamus* tamen. ANONYMUS.]

In ipſo Poëmatio verſ. XII.

*Et tragico ſcriptus gemitu Salaminius Aias.*

Quaſi verò gemitus ille ſolùm tragicus ſit! Notum in tragœdiis αἲ αἲ ſæpe geminatum eſſe. At quomodo non aliis quibuſcumque rebus? Non adfirmo, ſed ſuſpicor *Auſonium* ſcripſiſſe: *& Grajo*, quod, Hercle, generi toti aptius, cui illa vox apta. Ut pariter Græcum *Ovidius* ponit Lib. X.

*Ipſe ſuos foliis gemitus inſcribit, & αἲ αἲ*
*Flos habet inſcriptum, funeſtâque littera ducta eſt.*

[At

[At non dicit *Auſonius* τὸ eſſe *ſolùm* tragicum gemitum, ſatis eſt ut reverà ſit inter gemendi interjectiones, apud Tragicos. ANONYMUS.]

Sequuntur hi verſus continuâ ſerie:

*Omnia quæ lacrimis & amoribus anxia mœſtis*
*Exercent memores, obitâ jam morte, dolores:*
*Rurſus in amiſſum revocant Heroïdas ævum.*
*Fulmineos Semele* &c.

Neminem hos verſus, ut in omnibus editis diſtincti & concepti hac facie ſunt, intelligere re ipſa eſt. An *flores* enim *exercent memores dolores*? An *flores mœſti* ſunt? Et ut hoc demus, an Aiax, Narciſſus, Adonis, Hyacinthus *Heroïdas revocant in amiſſum ævum*? Puræ ineptiæ Librariorum ſunt, qui, ut propagent Scripta, de intellectu in utramque aurem dormiunt. Lege & diſtingue:

*Omnia (quà lacrimis & amoribus anxia mœſti*
*Exercent memores, obitâ jam morte, dolores)*
*Rurſus in amiſſum revocant Heroïdas ævum.*

Omnia iſta, ait, Heroïdas in amiſſum ævum revocant, non tamen omnino, ſed quatenus mœſta ſunt & dolorem etiam poſt fata teſtantur. Hoc argumentum fuit picturæ; Heroïdes redditæ imaginariæ vitæ, in obſcuro quodam loco; his accedunt Heroum nomine flores, quatenus exercent planctum, etiam poſt obitum fatum. Sic omnia plana. *Omnia quæ* neſcio an tueri poſſis, tametſi ſit complexio *Virgilii* in ſuaviſſima Ciri uſitata. Sed illud alterum magis ex ſententia eſt.

[Illud alterum eſt frigidum. Senſus eſt, *lethi argumenta*, & flores, in quos infelices Heroës mutati fuerant, & omnia quæ lacrimis & amoribus anxia exercent memores dolores, etiam obitâ morte, revocaſſe Heroïdas in amiſſæ vitæ memoriam. Sed verum eſt, malè interpunctos fuiſſe verſus. ANONYMUS.]

Mox, eadem ſerie:

*Fulmineos Semele decepta puerpera partus*
*Deflet, & ambuſtas latera, per inania cunas*
*Ventilat ignavum ſimulati fulminis ignem.*

Omnia *ignava* & *ſimulata*, quia pictura in aëris campis erat, non toto lumine videnda. Τὸ *latera* licèt in omnibus libris reper-

repertum, *Vinetus* meritò ſuſpectum habuit. *Scaliger lacerans* repoſuit. Nolui ego; non enim aliæ cunæ Semeles fuiſſe dici poſſunt depictæ; quàm latus ipſius, quod ambu-rens Jupiter extraxit Bacchum. *Cunæ ambuſtæ* ſunt ipſum corpus Semeles, unde non aliter, quàm *laterum Auſonio* relictum puto. *Laterum per inania* phraſi eo ævo uſitatiſſima, eſt per latera ipſa ſpoliata pondere ſuo. Nec quis de lateribus ſugillet; inde enim extractum maluit pictor puerum pingere, quàm per partes minimè plangentibus aperiendas. *Lacerare* verò *cunas ambuſtas per inania* dura phraſis.

[Dura ſunt quæ vir doctiſſimus comminiſcitur, quis enim *cunas* dici putet corpus ipſum Semeles, cùm cunæ nonniſi natis dentur? Quis *inania laterum* pro utero vacuo ferat? Quis ſenſus in his: *Et per inania laterum ambuſtas cunas, ignavum ignem ſimulati fulminis ventilat*? *Simulatum fulmen* hîc eſt falſum fulmen, & veluti umbra fulminis, quia in inferis verum nihil, ſed evanidæ tantùm imagines. Vide notata ad hunc locum. ANONYMUS.]

Mox verſu XXVIII.

*Tota quoque aëriæ Minoïa fabula Cretæ,*
*Picturarum inſtar, tenui ſub imagine vibrat.*

Legendum *picturatum inſtar. Inſtar* eſt imago, adſimulatio. *Picturatum inſtar* imago variis coloribus expreſſa. Multis de hac voce ad *Apulejum*.

[*Fabula Cretæ aëriæ* (hoc eſt, infernæ, quæ in aëris campis) imaginibus, picturarum inſtar, efficta, ſub tenuibus ſimulacris vibrat, hoc eſt, movetur. Similis eſt picturis, quæ moverentur. ANONYMUS.]

Poſt non multa, de Luna:

*— olim qualis per Latmia ſaxa*
*Endymioneos ſola adſectare ſopores.*

*Adſectare* hîc verbum eſt Veneris, à nobis notatum ad *Claudianum*. Significat ad concubitum conciliare velle, Veneris res alicui propinare. Commentator Vetus *Horatii* Lib. I. Sat. II. *Permolere. Violare, polluere, adſectare, adpetere* &c. In eam ſententiam iſto loco *Auſonius*, in eamdem *Tertullianus* Lib. de Præſcript. adverſus Hæreticos cap. VIII. *Fuerat Athenis & illam ſapientiam humanam, adſectatricem & interpolatricem Veritatis de congreſſibus noverat.*

*verat.* Idem Scriptor ſæpius pro libidine *adfectationem* dixit, quod non ſatis perſpexit *Heraldus*, alioqui vir dextræ eruditionis.

[*Adfectare ſopores* eſt captare tempus ſomni Endymionis, id quærere, ut *adfectare regnum* & ſimilia. ANONYMUS.]

Verſ. LII.

*— hoſtémque unum loca non ſua nactum,*
*Cùm pigros ageret denſa ſub nocte volatus.*

Suſpicor *Auſonium* ſcripſiſſe *non ſua inactum.* Loca enim nanciſcimur, quæ ſponte ſtudioque adpetimus, id quod contrarium hoc loco eſſe decet. Nec obeſt τὸ *agere*, imò venuſtatis gratiâ repetitum puto, ſummo ſtudio quoque.

[Mera hæc eſt barbaries, quam non adfectat *Auſonius. Nanciſci* diſcimur quod nobis obtingit, ſive adpetitum priùs, ſeu caſu ejus compotes fiamus, aut in id inviti incidamus. Sic *nanciſci malum*, apud *Terentium* Andr. v, 6, 3. & Phorm. III, 3, 10. ANONYMUS.]

Verſu LIX. de arbore:

*Hujus in excelſo ſuſpenſum ſtipite Amorem*
*Devinctum poſt terga manus, ſubſtrictáque plantis*
*Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ*
*Adficiunt. Reus eſt, ſine crimine* &c.

Miror neminem hoc loco tum apertum mendum vidiſſe. Legendum: *nullo moderamine Pœnæ Adfigunt.* Nihili vulgata lectio, *nullo moderamine pœnæ adficere.* Adfixum verò Amorem ingerit ipſe Poëta, *præfatione: Cupidinem cruci adfigunt mulieres amatrices.* Crux ſanè eſt arbor illa talibus, ut jam dixit, pœnis uſitata.

[Minùs rectum eſt, *adfigunt ſuſpenſum in ſummo ſtipite. Suſpendere* hoc eſt, non *adfigere*, quod impropriè in Præfatione uſurpavit *Auſonius. Adficere nullo moderamine pœnæ*, eſt pœnâ immoderata adficere, vel nullum moderamen adhibere. Nihil hîc, quod Poëtam dedeceat. ANONYMUS.]

Ex ſequentibus gnomen videtur non Poëta, ſed Librarius feciſſe. Legendum puto: *Se quæque abſolvere geſtit*, non *quiſque*, cùm omnes ſint ſexûs ſequioris, & Poëta in præfatione, ſeu argumento dixit: *Heroicæ, quæ ſibi ignoſcunt & plectunt Deum*; licèt quiſque quoque ad feminas trahi poſſit, ut, *mi dulcis anus*, apud *Tibullum.* Omnino au-

autem, utcumque diſſimulamus, hîc duo verſus olent ævum degenerans, & *Alano* aliquo, quàm *Auſonio* ſunt digniores.

[Mihi verò *Auſonio* nequaquam indigni videntur, & ſententiæ etiam neceſſarii. Palato *Barthii*, qui tam infelix eſt conjector, non admodum confidere licet. ANONYMUS.]

Sequitur verſu LXVII.

*— hæc ultio dulcis —*
*Ut quo quæque perit ſtudeat punire dolorem.*

Lege, *dolore*. Quo *dolore* quæque perit hoc hoſtem, punire ſtudet. Non enim punit dolorem, ſed petulantiam potiùs & crudelitatem dolore ipſo. Mirum hæc talia viſa hactenus non eſſe.

[Nihil muto. Senſus eſt, ut dolorem, quo quæque periit ſtudeat punire Cupidinem, vel eſſe pœnam Cupidinis. ANONYMUS.]

Omiſſum eſt verſu LI *rigorem*, non *vigorem* eſſe legendum. *Rigor* enim ſumma eſt crudelitas. *Claudianus*:

*Triſte rigor nimius, Torquati deſpue mores.*

Hîc autem Heroïnæ:

*— vanum vibrare rigorem*
*Occipiunt.*

Horret vulgata lectio.

[Imò tua, *Barthi*; nam *vibrare vigorem* quid ſit diximus ad textum. *Vibrare rigorem* nihil eſt. ANONYMUS.]

Verſu LXIX. *cavi amnes* vani ſunt, qui congruunt, ſcilicet, aëreis campis. *Paulinus* Iambo ad Cytherium:

*Hi nunc obeſi ſpiritu ſuperbiæ*
*Et opibus inflati cavis*
*Humi manebant compediti.*

*Mammertus* noſter Lib. II. de ſtatu animæ, *cavum* vanitatis dixit, ut quidem à Jureto ex V.C. ſuppletum eſt.

FINIS.

# INDEX I.

# AUCTORUM

## Laudatorum, ſæpè quoque emendatorum.

### A.

Accius vel Actius, aut Attius. 85.122.133
Achilles Tatius. 2.7.49
Acron Helenius. 100.116
Adagia. 44.140
Adrianus Imp. 101
Afranius. 94
Agellius *vide* Gellius.
P. Albinovanus. 132
Alcimus Avitus. 2.79.98.106
*Aldus Manutius.* 43.140
*Andr. Alciatus.* 95
Alexander Aphrodiſæus. 83
B. Ambroſius. 51.125
Ammianus Marcellinus. 33.80.99
Ammonius Hermias Phil. 108
Anacreon. 62.132
Anonymi Poët. Latini. 64.91.113.128
——— ——— Græci. 1.5
Anthologia Græc. Epigramm. 2.19.48.51.71.83.124.135
*J. Anyſius.* 156
Apollodorus. 62
Appianus Alexandrinus. 90
Apulejus Madaurenſis. 6.45.47.48.53.61.64.66.68.81.89.95. 110.151
Aratus. 138
Ariſtophanes. 87.91.120
Ejus Scholiaſtes. 64.91.133.154.
Ariſtoteles. 4.51.62.72.108.132
Arnobius. 4.8.61.62.87.88.92.97.106.109.121.142
Athenæus. 72.91.112
Auctor carm. de Leandro & Hero. 10.86
——— Philomelæ prior. 128
——— ——— poſterior. 129.135
B. Auguſtinus Hipponenſis. 79.107
Avicennæ interpres. 137

# INDEX I.

Feſtus Avienus. 139
Auſonius. 57.88. 102. 111
J. Axiagaſtus Sinaita v. Climacus. 131

## B.

BAſilius Magnus. 1
*C. Barthius.* 44. 52. 76. 77. 90. 103. 108. 111. 129. 137. 139. 141. 142.
*Gr. Berſmannus.* 128
Biblia. 48. 98. 165.
Bion. 8. 55. 77
*Cl. Binetus.* 84
Boëthius Severinus. 19. 53
*Boiſſardus.* 111
*Brodaus.* 30
*Aug. Buchnerus.* 52 65
*Budaus.* 59

## C.

C. Julius Cæſar. 116
*Calellius* (Bern.) 2
Calfurnius Flaccus. 52. 77. 121. 124. 140. 142
*Camerarius.* 4. 124
Mart. Capella. 76
Capitolinus. 100
*Carolus Stephanus.* 141
*Caſaubonus.* 3. 57
*Caſſiodorus Remius Hiſpanus.* 48
*Caſtalio.* ibid.
Catalecta Virgil. vet. Poët. 65. 74
Catullus Veronenſis. 3. 32. 43. 44. 51. 59. 67. 79. 85
——— Urbicarius. 44
Cedrenus. 99
Chriſtianus quidam Græcus. 151
*Nat. Chytraus.* 129
M. T. Cicero. 49. 59. 62. 87. 104. 114. 138
Cinna. 138
Joan. Climacus vulgo. 131
Claudius Claudianus. 2. 28. 90. 95. 97. 108. 139
Columella. 52. 66. 76. 98. 166
Cornutus v. Perſii interpres.
*Corpus vet. Poët. Lat.* 112. 139
*Cuchlerus* (El.) 2
Curtius. 89
B. Cyprianus Carthaginenſis. 61. 67

D. Da-

## D.

D *Alechampius.* 141
Damaſcenus. 51
Diodorus Siculus. 28
Diogenes Cynicus. 90
——— Laertius. ibid.
Dionyſius Halicarnaſſæus. 114
——— Alexandrinus. 135
*Douza F.* 4. 8. 67. 78. 94. 101. 122
Dracontius. 21. 54. 65. 97.
*Durrerus* (Ad.) 14

## E.

E Idyllium de Roſa. 23. 24. 74. 78.
——— ——— Vere. 52. 124. 135
Empedocles. 14. 108
*Elmenborſtius.* 96
Ennius. 81. 104. 114. 138. 159
Ennodius. 107
Epictetus. 101
Epigrammata v. vet. Poët.
Euripides. 12. 72. 90. 104. 127
*Erhardus*, cujus verum nomen *Michaël Caſp. Lundorpius.* 54
*Eraſmus Roterodamus.* 43. 52. 140
*Erythræus Nic.* 129. 132

## F.

F Abius Pl. Fulgentius. 44. 61. 62. 77. 91. 101. 128.
*Fabricius.* 52. 158
Feſtus Pompejus. 31. 117
L. Ann. Florus. 45. 74. 90
Fortunatus Venantius. 52. 55. 66. 71. 123. 130
*Forcatulus Steph.* 120
Fragmen Ponticum. 4. 61. 66. 68

## G.

G Alienus Imperator. 93. 105. 159
A. Gellius. 59. 75. 87. 94. 159
Gloſſæ Vet. 1. 47. 66
——— Iſidori. 55
*St. Gentilis.* 124
*C. Geſnerus.* 141
*C. Gevartius.* 89

# I N D E X I.


*Ob. Giſanius.* 98
*Gerus Ranutius.* 129. ſeu *Janus Gruterus.* 94
*Hier. Groſlotius.* 122
*Greg. Gyraldus.* 43
*Guntherus.* 52

H.

H *Einſius.* 5
Heliodorus. 90
Heraclitus. 86
Herodianus. 90
Herodotus. 89. 106.
Heſiodus. 61. 90. 120. 125. 139
Heſychius. 59
B. Hieronymus Stridonenſis. 10. 23. 74. 91
Hiſtor. Auguſtæ Scriptores. 74
Homerus. 3. 50. 126. 132
Horatius. 15. 87. 89. 90. 100. 116. 122. 133
Ejus interpres vetus *vid.* Acron & Porphyrion.
*Hoſpinianus* (Rodolphus.) 2

I.

JAcobus Magnus v. Sophologium. 84
*Janus Parrhaſius.* 141
Inſcriptiones antiquæ. 2. 94. 111
*Joannes Iſacius Pontanus.* 54. 61
*Joannes Ludovicus de la Cerda.* 106
*Vives.* 127. 128
*Joan. Steph. Verbeſius.* 70. 75
*Joſephus Scaliger.* 43. 81. 96. 140
*Julius Caſar Scaliger.* 58. 159
Julius Romanus Epigrammatarius correctus. 84
*Junius* (Had.) 2
Iſidorus. 3. 55. 57
*Fr. Juretus.* 136
Juvenalis. 21. 71. 88. 105. 117
Ejus Scholiaſtes. 63

L.

LAërtius *vide* Diogenes.
Lævius vel Lævinus. 47. 75
Lampridius. 29. 100. P. Licinius. 159
*Lernutius.* 70
Leonides. 83
*J. Lipſius.* 43. 46. 49. &c. paſſim.
Titus Livius. 87. 114. 117


P. Le-

*P. Lotichius Solitarienſis.* 130
*Joan. Pet. Lotichius.* 136
Lucanus. 103. 139
Lucianus Samoſatenſis. 90. 139
Lucillius. 141
Lucretius Carus. 9. 44. 47. 56. 62. 65. 68. 70. 76. 89. 104. 106
Luctatius v. Placidus.
Luxurius. 30. 44. 49.

M.

Macrobius Theodoſius. 54. 61. 109. 119.
*Mamertus Patiſſonius.* 49
Manilius Theodoſius. 118. 123
*Manutius.* 43
*T. Magirus.* 93
*Maphæus Vegius.* 114
Val. Martialis. 6. 66. 67. 96. 107. 112. 117. 126. 127.
S. Matthæus Evangeliſta. 99
Martianus *vide* Capella.
Cn. Matius. 112
Cl. Marius *vide* Victor.
Maximianus Ethruſicus. 93
*H. Megiſerus.* 134
Mela. 35
Menander. 111
*Joſ. Mercerus.* 117
*P. Merula.* 114. 133
*Meurſius.* 33. 79
*Cl. Minos.* 95
Minutius Felix. 90
Moſchus. 83. 101
*M. Ant. Muretus.* 122. 123
Muſæus. 10. 86

N.

Nævius. 159
*Natalis Comes.* 47. 63
Olympus Nemeſianus. 103
Nicander. 57
*Nic. Perottus.* 66
Nonius Marcell. 7. 31. 62. 78. 84. 117. 142
Nonnus Panopolita. 5. 107
*A. Novidius Fraccus.* 156

O.

*Obſopius Vincent.* 124
*Opitius Mart.* 74. 136
Oppianus. 2. 28. 55

Oraculum Græcum Chalced. 99
Orpheus. 111
Ovidius Naſo. 5. 15. 46. 48. 53. 56. 84. 85. 89. 94. 96. 112. 114. 115. 118. 126. 129. 138. 142. 152

P.

P Acuvius. 104. 159
Palladas. 80. 134
Panegyriſtæ. 2. 99
Papinius *vide* Statius.
Paulus Diac. Epitomator Feſti. 117
Paulinus Nolanus. 129
Pauſanias. 56. 90. 125. 133
Pedo *vide* Albinovanus. 132
Perſius. XIII. 107. 139
Pſeudo-Cornutus, Perſii Scholiaſtes. XIV. 139
Pervigilium Veneris ubique.
*Perottus* vide *Nicolaus*.
Petronius Arbiter. 19. 47. 49. 53. 54. 84. 104
*Petrus Pithœus* paſſim.
Phile. 128
Philemon. 123
Philomela Ovidii vel cujuſcunque. 128. 129
Philoſtratus. 83
Phornutus. 62. 95
Pindarus. 5. 13. 66. 105. 112. 138
Placidus Luctatius. 95
Plato. 62. 90. 109. 120. 125.
Plautus. 7. 29. 47. 54. 67. 78. 87. 94
Plautinus Prologographus. 1. 47
Plinius. 23. 52. 57. 62. 63. 83. 99. 128. 129. 138. 152
—— Cæcilius Junior. 48. 141
Plutarchus. 57. 111. 125
*Politianus ſeu Angelus de monte Pulciano.* 30. 87
Porphyrio Pomponius Horat. Scholiaſtes. 115
Porphyrius Poeta. 96. 101. 105
Probus in Virgilium. 132
Probus Birthius *vide* Juvenalis Schol.
Propertius. 67. 180
*Proverbium Germanicum*, uf ein ſatten Bauch ſteht ein frölich Haupt. 91
Prudentius Clemens. 21. 33. 52. 65. 80. 81. 82. 97. 99. 110. 115. 118. 158
*Puſchius.* 113

R.

R *Abelæſii interpres.* 48
*M. Raderus.* 141
*C. Rhodiginus.* 120

*Ri-*

*Rigaltius Nicol.* 94
*Conr. Ritterſhuſius.* 2.13.51.78.126.135
*Rivinus paſſim.*
*Roterodamus* vide *Eraſmus.*
Rutilius Lupus. 103

S.

*Sabinus.* 133
*Cl. Salmaſius* paſſim.
Sappho. 3.120
Sapientiæ liber. 48
Scholaſtici Poëtæ. 65.74
Scholiaſtæ cuilibet auctori ſubjuncti.
Seneca. 3.5.44.55.63.108
Sedulius Junior. 111
*Scriverius P.* paſſim.
Sentius Augurinus. 141
Servius Maurus Honoratus. 53,59.80.89.95.109.124.132.140
Sidonius Apollinaris. 105.125
Sibyllina carmina. 87
Silius Italicus. 88.141
Socrates Hiſtoricus. 99
Solinus Polyhiſtor. 44.61.97
Sophocles. 142
Spartianus. 45
Statius Papinius. 5.6.10.63.67.89.92.106.119.131.134.138.141
*Stephanus* vide *Forcatulus.*
*Veſpaſ. Strozius.* 126
Stobæus. 72.77.90.111
Suetonius Tranquillus. 47.90.117
Sophologium Jac. Magni. 84
Valerius Soranus. 104
Symmachus. 100

T.

C. Tacitus. 10.47.93
Tertullianus. 14.59.62
Terentius. 10.79.91.140
Terentianus Maurus. 113
*Tagautius.* 75
*Taubmannus.* 44.65.67.121
Themiſtius Euphrades. 120
Theocritus. 59.62.122.137
Ejus Scholiaſtes. 59.86.153
*J. Thomaſius.* 138
*Threſor de trois langues.* 93
Tibullus. 57.61
Trebellius Poll. 92

# INDEX I. AUCTORUM.

*Turnebus Adr.* 67. 108
Trabea. 122

V.

VAlerius Maximus. xv. 58. 115
Varinus. 138
Varro. 61. 78. 101. 104. 107. 132. 142. 152
—— Atacinus. 76
Venantius *vide* Fortunatus.
Vetera Epigrammata. 2. 33. 58. 95. 136. 141
Virgiliana Catalecta. 7. 65. 74. 142
Virgilius Maro. 2. 8. 11. 12. 18. 23. 37. 47. 51. 54. 56. 63. 65. 69. 71. 81. 88. 89. 91. 95. 98. 103. 106. 109. 113. 120. 121. 122. 124. 132. 140
*Verbeſius* & *Vives* vide *J.*
Sex. Aurel. Victor. 15
Cl. Marius Victor. 98. 106
Marius Victorinus. 64. 113
Vomannus. 65

W.

*J.* W*Eitzius* paſſim.
*J. Wowerius.* 3. 7. 69

Z.

Z*Ebnerus.* 16

Finis Indicis Auctorum.

# INDEX II.

## RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

### A.


A*Dſectare* quid. 206. *& ſeq.*
*Adonidis* fabula. 192. *& ſeq.*
*Aëris campi*, cur inferi dicantur. 177
Æther, pater, Tellus, mater. 13.37.104. ille maritus, hæc conjux. 106
*Ajacis* in florem mutati fabula. 180. 204
*Amor* cur arcum & ſagittas vehat? 80. cur nudus? 33. 101
nuditate armatus. 80. 82. 83. 153.
judiciosſus à Cupidine inconſiderato differt. 94
omnibus idem. 120. Jovis Jupiter. 75
è terra & terreſtris. 119. 120
*Annus*, i.e. pars anni, Ver. 53. anni fertilitas. 37. 105
*Aphrodite* cur Venus dicta. 21.61. πανάγαθος Εὔκλεια. 111
Apollinis & Bacchi comparatio. 90
Apollo poëtas reſpicit. 138. 139. 140
Aprinus cruor. 29
*Ariadna* fabula. 188
*Arietinum* oraculum è Gell. lib. & cap. 3. i.e. *κερατινὸν*, ut Syllogiſmus cornutus, utrinque feriens. 94
Aurora pudoricolor. 73
Solis purpura & cœleſte oſtrum. 78


### B.


B*Arbari* propriè Thraces. 131
Bibliotheca Vaticana. 84. Galliæ. 140
Biceps qui Parnaſſus. 139
Bigas Veneris tenere. 101. eò ſpectant Bipedes & bijuges equi. 5. 63


### C.


C*Aballinus* fons, i.e. Pegaſeus. 139
*Canidis* fabula. 182. *& ſeq.*
*Calator*, viator & miniſter ſacrorum. 60
Campaniæ ſitûs amœnitas. 100
*Caſa nemorales*, i.e. tabernacula. 56. 86

# INDEX II.


*Cato*, i. e. ſapiens, auſterus & ſeverus. 141.162
*Charinus* Iamborum Poëta. 202
*Coma & crines*, i. e. folia arborum, 2
*Comare*, i. e. frondere. 55
*Congrex* caterva, vulgus. 10 88
*Continens* Terra. 35
*Continenter* & *in continente* quid. 35.36
Craſtinum curare. 118
*Creta aëria.* 206
Cygnus & columbæ Veneris aves; corvus, cornix, monedulæ exoſæ. 124

## D.

DE παρέλκει ſæpiùs noſtro Auctori. 70
*De* pro *Ex*. 14
*Decidivus* & deciduus. 7.70.71
*Detumere*, tumorem ponere. 92
*Deûm pœna*, à Diis inflictæ. 192
Deus Poëtarum Apollo. 10.90.138.139
*Diana* Nemorenſis, patrona Virginum, montium, ſaltuum, amniúmque Domina. 85.86
Cur dicta Virgo Delia. 9
Canephoriis propitiata. 86.153
*Dione* & Venus & Ven. mater. 3.62

## E.

E*Cloga* quid. 176
*En umquam* mutatum in *an umquam*. 171
*Endymionis* fabula. 190. & *ſeq.*
*Enna* campus in omni vernus die, i. e. ubi ver ſit perpetuum. 11.27.97.
*Eriphylæ* fata. 187

## F.

F*Acere*, creare. 21.63
*Fato* tribuere delicta Veteres ſolebant. 194.198
*Filii medicorum*, experientiſſimi, & artem medicam fideliter à patribus edocti. 49
*Flagella*, ſummitates fruticum. 3.57.75
*Florida*, florilegorum excerpta. 45
Florum aulæa Salomonæis pulchriora. 99
*Fæcundare*, quid. 15
Frutinal. 5
*Fucare* pro pingere. 203
*Fulminis ſimulati ignis.* 181. & *ſeq.*


G. *Gem-*

## G.

GEmmare, reſplendere & gemmas protrudere. 65. 66
Gratiæ, i.e. Virgines, uti Nymphæ mulieres. 100
adſeſtrices & Scabinæ Veneris in γυναικοσυνεδρίῳ. 11. 95. 154
famulæ Idaliæ, & filiæ. 95

## H.

HArmonia monile. 182
Hephæſtionis Ptolemæi F. locus. 201
Hermaphroditi fabula. 197
Heronis & Leandri fabula. 184. 186
Hyacynthi fabula. 179
Hippocampi, Neptunii equi. 63
Hirundinum nomen Poëtis datum. 136
Hybla florilegio & mellificio celebris. 96

## I.

IMbuere quid. 14
Intercalaris verſus poſt duos, tres, quatuor, & poſt plures ſubjicitur. 50. interpoſitique tales nonnumquam & præponuntur. 58
Jovis epulum. 58. 60. 142
Ire, i.e. ſaltare. 88. 97
Itys pollutarum menſarum exordium. 133
Jupiter Deûm Deus unus & omnes. 104
Inermis, an mitis dici debeat? 84

## L.

LAbes pro declivitate terræ. 178
Lacrymæ roris, & lacrymare ſua gaudia. 7. 70. 71
an malum minuant augeantve? 123
Laodamiæ fabula. 190
Latmia ſaxa quæ. ibid.
Leucate & Leucas. 186. ſaltus Leucadius. 200. & ſeq.
Lucernarum ratio & forma apud Veteres. 184. & ſeq.
Lugentes campi qui. 175
Luna in inferis ab Auſonio collocata. 191
Luſciniæ muſica admiranda. 125. & ſeqq.

## M.

MAritus gregis, admiſſarius. 122
imber. 2. 62. 108
Mars deprehenſus cum Venere. 196

Mens

*Mens* mundi ſpiritus. 13. 108. 109
mentis, Venus. 108
*Mirari* pro adſpicere. 179
*Mirator* Narciſſus cur dicatur. 178. & *ſeq.*
*Mos priſcus* ſpargendi ſemina per Floralia. xiv. xv
flores in triumphis. 89 95
ramos & veſtes. 99
deſperatos ægrotos ante januas collocandi. 50
pervigilandi in ſacris Deorum. 47. 48. per triduum. 10. 87.
cum tripudio & cantibus. 87. 91. ad auroram & cum tibiis alios excitandi. 91. & tum placentam reportandi. 91. 154
acclamandi doctis: euge, euge. 107. in conviviis Rom. ut cum viris cœnantibus fœminæ ſedentes cœnitarent. 58
Chori ad ſpectatores ſeorſim ſtrophas decantandi. 64
Symphoniacorum præludendi. 59. & cum oſcinibus alternandi. 138
maritorum ſolvendi cingulum taxim. 31. 78
natos infantes protinus in terram ſtatuendi. 119
Prætoris, virga vindicta manumittendos in capite pulſandi. xiii
Muſicæ encomium. 91. 131
*Myrrha lacrima.* 194. & *ſeq.*
*Myrtus* cur Veneri ſacra? 3. 56. 89
*Myrtea* vel Murcia Venus. *ibid.*
*Myrtea ſilva* in inferis. 177

N.

*Nebula picta in pariete.* 171. 200
*Noctiluca* & *noctuvigila* Venus. 1. 47
*Novus* annus, *novum* ver. 53
Nero Æneadûm ultimus Veneris & Martis nepos. 83
*Nubere* priſca ſignificatio hujus verbi. 8. Dicitur de omni concubitu. 2. 54. 117

O.

Orbis ſeu mundus quando natus, & adhuc renaſcatur? 51. 52
*Organula* cornea avicularum. 128
*Orgia* pro pompa diei feſti. 178

P.

*Papilla*, roſarum alabaſtri. 22. 26. 68. Virgines, nondum compreſſæ. 6. 7. 75
Papillatus roſarum corymbus. 23. 73
*Parnaſſus* quomodo biceps? 139

Pas

*Paſiphaës* fabula. 188
*Peplum*, veſtis quælibet, ut noctis ſtellatum. 7. 76
Pervigil nox & haſta, lychnus. 93
cœna. 82
*Pervigilia* 47. 48. 82. 87. 91. 142. Devirginantia puellas. 86. 87
Pervigiliorum initia. 46. 156
*Phædra* fabula. 189
*Philomela* puella Terei. 16. 125. *& ſeqq.* *vide* Luſcinia.
Philomela populos arbores amat. 126
Philomela & Progne in quas aves mutatæ. 132. an præ dolore canant? 125. 132. 133. Poëticam & Rhetoricam figurant. 126
Poëtæ carmina Muſis accepta ferebant. 139
Poëtica facultas duobus modis quæritur & perditur. 138
*Porta eburna.* 199
*Præambula* barb. Græcis quoque προάμβυλα, ſed meliùs præcentiones aut proluſiones & προκιθαρίσματα. 59
*Priapi* fabula. 192
Procraſtinare amorem an conſultum? 111. 112. 155
*Procridis* fabula. 183
Privilegium Veneris, caſtè amare. 150. 156
*Prolium ſanguis*, i. e. ſemen genitale. 61
*Pubere*, propriè avium & piloſorum animantium. 54. impropriè arborum comantium. 55. 142
*Pudoricolor aurora* Nævio. 75
*Puer Dionæ*, i. e. filius Veneris. 119
Pueri medicorum. 50
Puella Terei, i. e. Philomela. 126
Puellæ montium, fontium, ruris, i. e. Oreades, Najades, Napeæ. 100. 154
*Purpura florulenta* vide roſæ.
*Purpurare*, activè & neutraliter. 66

## Q.

*Quirites*, cives Romani unde dicti. 15. 116
*Quiſque* pro quæque. 193

## R.

RAmos & flagella ſpargere. 97. 99
iiſdemque ædes ornare. 54. 56. 89. 99
*Reſpicere*, i. e. diligere, favere. 140
*Rhamnes* & Romani nobiles. 15. 118
*Ritus* nuptiarum. 31. 54. 151
inſanus pervigilandi. 48. 87
invitandi Jovem in lectulum, Deas in ſellas ad cœnam. 58

nubilium virginum caniſtros Dianæ ferendi. 155
ſolvendi zonam Virginenſi Deæ. 78
*Ros*, humor à ſerenis noctibus ſudatus. 65. 76
Pater roris. 13
*Roſa* florum regina. 152. cur rubra. 8. 29. 30. purpura florulenta 27. 75. Virgo. 76. marita. 78. cur Veneri ſacra? 56
Roſarum uſus in cubiculis. 23
Roſarum purpureus nimbus, pluvia & nix, φυλλοβολία. 30. 79. 90
*Ruborem* ſolvere. 8

S.

SAltationes in pervigiliis. 88
*Sapphonis* amores. 187
*Segrex* adjectivè, ut congrex. 10. 88
*Semeles* fabula. 180. *& ſeq.* quomodo ventilet ignem lateris. 181. *& ſeq.*
Silentium perdit Muſas, ut Amyclas. 140. 141
*Solium* pro palatio. 174
*Stare*, i. e. oppleri, ornari. 11. 95
*Sub & in armis*, i. e. armatus. 9. 34. 81
Surgentes papillæ. 22
*non Suus locus*, quid. 191

T.

T. pro D. ſæpiſſimè ſcriptum. 29. 41
*Teſta fumida* pro lucerna. 184. *& ſeqq.*
*Thola* quid. 174
Throno, haud thoro inſident reginæ jus daturæ. 57. 58. 95
*Thysbe* Babylonia. 190
*Totus* pro omni. 105
*Tumere* ac *turgere* virginum nubilium. 6. 67
Trochæi cur volubiles, rotatiles, Chorei dicti. 158
Trochaicæ cantilenæ propriæ chorearum. *ibid.* & acclamantium militum. 165. earum natura & à Iambicis differentia. 158. 159
Trochaicorum veterum variorum ex parte correctorum exempla. 159. *& ſeqq.*

V.

VEhere, i. e. recondita habere arma. 9. 79. geſtare. 33. 80
*Vel* pro *&*. 12
*Venus* cur Aphrodite? 4. 61. cur Paphia. 3. cur ποικιλόθρονος. 3. ex amoris conchulis. 78. Jovis & Diones filia. 62. mens mentis. 108. 110. quî nata? 61. 151. pueri mater alitis. 101. Copulatrix. 56

Ve-

Veneris vis in humida elementorum mixtura. 72
Veneris armiger Bacchus. 48. adſeſtrices & conſiliariæ Gratiæ. 11. 95
Venus Natura. 155. 157. mater, procreatrix. 39. 110. etiam Deorum. 46. φιλοπάννυχος Noctuvigila. 47. benefica ſervatrix. 111. Regina cœli, ſali, ſoli. 46. 109. 111
Veneris & Veris adfinitas & identitas. 46. 142
*Ver* mundi exordium, juventus, regeneratio. 1. 18. 51. novitas. 53. pictor mundi. 6. 65. optima pars anni. 1. 96. & hinc κατ' ἐξοχὴν annus. 53. vel vernus annus. *ibid.* florifer annus. 19. 53. purpurans annus. 5. 64. Ver canorum, anni chorus. 1. 53. 123. 151. pro ipſa hilaritate. 17
Veneris tempus. 47. 142. 146
*Vernare*, pubere, ſich mauſtern. 55
*Vernatio* inde, λεβηρίς. Onomaſt.
*Verſiculus* ἐφύμνιον. 59
Verſus in quibus ſunt voces ſimiliter deſinentes. 177
Veſtis Florum. 11. 62
*Via*, inſtructio, ratio, modus. 110
*Vibrare vigorem* quid. 191. 208
Vinum lac Veneris & calefactor. 95
Virginenſis Dea. 31. 79
*Virus*, ſemen. 62
Unguentum libidinis proluvium. 6. 68
U Græcorum & U Lat. eodem ſono pronunciata. 89
*Urgere.* 26

Z.

Zoïli triclinium. 172. 203
Zonam ſolvere dicitur cùm ſponſus. 31. 32. 78. tùm ſponſa. 55. 78.

# F I N I S.